Digitized by Google

PETRI JOANNIS
PERPINIANI
SOC. JESU
ALIQUOT EPISTOLÆ.

UBI, PRÆTER CÆTERA, de artis rhetoricæ locis communibus, ac de juventute Grçcis Latiniſque literis erudienda agitur.

Proferre in lucem cœperat ex eadem Societate.

FRANCISCUS VAVASSOR.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

PARISIIS,
Apud Viduam CLAUDII THIBOUST,
ET
PETRUM ESCLASSAN, Juratum Bibliop. Vniverſit. ordin. viâ D. Joan. Later. è regione Collegij Regij.

M. DC. LXXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI
ELOQUENTIÆ
STUDIOSO.

JOANNES LUCAS *Societatis* JESU.

PERPINIANI, hominis de Societate noſtra doctiſſimi, Epiſtolas aliquot, neſcio quo conſilio aut caſu potius, dum cætera ederentur opera, derelictas, proferre in lucem cœperat FRANCISCUS VAVASSOR, unus item noſtrorum hominum varia quidem & multiplici eruditione ſua, ſed admirabili præſertim linguæ latinæ ſcientia notiſſimus. Dum vero interrupta penderet editio, morte ille præreptus eſt, incertum, majorine luctu & dolore noſtro, an reliquorum omnium, quibus cordi eſt Romana locutio pura, & exquiſita cum proprietate & munditia, tum collocatione & nexu verborum delicato. Fuit enim in eo

ã ij

Digitized by Google

genere VAVASSOR ſummus, ſive ſtylum
otioſus prehenderat ad ſcribendum, ſive
loquebatur meditato, aut etiam ex tem-
pore. Mihi itaque perficiundi & publi-
candi operis, quod jam biennium eoque
amplius omiſerat, delata cura: quam
ultro, ſi nullus hortator acceſſiſſet, ſuſce-
piſſem tamen, pro mea in editorem ob-
ſervantia, & in autorem ſtudio, & in
communem ſtudioſorum utilitatem vo-
luntate. In ea quippe ſententia ſum, haſce
Perpiniani noſtri Epiſtolas, ubi præter cæte-
ra de locis Rhetoricæ communibus, deque
erudienda Græcis ac Latinis litteris ju-
ventute agitur, tibi, LECTOR ELOQUEN-
TIÆ STUDIOSE, non mediocriter profutu-
ras. Fuit, ſi neſcis, Petrus Joannes Perpinia-
nus natione Hiſpanus, patria Valentinus.
Vir, cui Marcellus Corradus, Marii fra-
ter, magnum id temporis litterarum lu-
Epiſt. Mar. ad Perp. men, *vix unum aut alterum conferret plu-
rimarum artium ſcientia, ſplendore oratio-
nis, acumine judicij, & omnium elegantia
& gravitate ſtudiorum.* Quem Paulus Ma-
nutius, qui vir! quam elegans ipſe in
dicendo, quam in exiſtimando prudens?
Epiſt. ad Zetb. Ritium. l. 7. *Summo ingenio virum, incredibili ſcientiæ
copia, maxima jam apud omnes bene ſen-*

Digitized by Google

tientes exiſtimatione & autoritate deceſſiſſe, pæne flens ait *florente adhuc ætate*, *nimis immatura morte*, *alieniſſimo tempore*, *cum ad eum ſalutaris doctrinæ dogmata de loco ſuperiore* Pariſiis Latine *oſtendentem omnis omnium concurſus fieret : cum hæreticæ factionis inſidias patefaceret*, *impetum frangeret*, *tela retunderet*. Quem recens mortuum his ad ſempiternam memoriam coloribus clariſſimus ille Marcus Antonius Muretus Dario ſuo V. item C. depingit : *Hunc tu utinam*, *Dari*, *audire potuiſſes*, *neque te*, *quo tempore ille in hac urbe eloquentiæ præcepta tradebat*, *alio vitæ genere implicatum aula tenuiſſet. Nunquam enim quemquam audiſti*, *ac ne audies quidem*, *opinor*, *in quem illud de Neſtore elogium melius conveniret*, *cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio.* Externis teſtimoniis tot & talibus piget attexere domeſtica. Quocirca videns ac volens omitto, ut eum Bonifacii, Bencij, Turſelini, Orlandini, & conſimiles horum de Societate noſtra quamplurimi in cælo ponerent & ῥητορικῶς facerent *in dicendo Deum*. Neque hoc multorum ſcriptis conſignatum refero, quoties aſcendebat ſuggeſtum (aſcendere autem de rebus graviſſimis ſæpe

Varia r. Lect. l. 15. c. 1.

Turſel. in præf.

Bene. neceſſum fuit) toties ab ejus ore *Luſitaniam*, *Italiam*, *Galliam pependiſſe*. Multo autem minus commemoro, quanta omnium approbatione, in noſtro Pariſienſi Collegio, & in hac ipſa cui ſexennium præfuimus Rhetoricæ ſchola Tullium tanto poſt repreſentarit ipſum *& redhibuerit*

Orland. *quodammodo* ad ſtuporem undique circumfluentium auditorum. Sic enim habet. Ad commendationem epiſtolarum, quas tibi, LECTOR STUDIOSE, trado in manus, nihil opus eſt exquiſita, ut fit, autoris laudatione. Tantum habe illas tibi. Nolo te ad bene exiſtimandum præjudicata ducat opinio, aut mea vel cujuſquam autoritas. Velim tamen, nolim, facere non poſſum, quin pro Perpiniani Epiſtolis gravis inſtar præjudicii ſit, quod eas VAVASSOR fecerit tanti. Is enim certe quidem judex, cujus perſpicacitatem nihil fugeret, integritatem nihil corrumperet.

Lutetiæ Pariſiorum.

Idibus Decemb. an. M. DC. LXXXII.

Pagina.	*Verſus.*	*errata.*	*emendatio.*
13	22	omnibus.	omnibus
15	22	ſtatuebam	ſtatuere nolebam
23	6	quidquam	quidque
52	13	promovendi	permovendi
69	2	Perionus	Perionius
70	1	datur	dicitur
85	19	Cecilium	Cæcilium
32	1	pene	pæne
85	21	aſtrinxerunt	obſtrinxerunt
88	13	tamen	tandem
89	8	juventutis	juvenum;
91	15	ἑϛὶν	ἔϛιν
96	16	ἀποϛε ᾶν	ἀποϛρεῖν
107	14	rerum	vocum
112	8	profuerint	profecerint
115	10	&	ut
117	17	ille	illum
127	20	leni laudatione	lenitate laudationis
154	23	Neaopolæonem	Neapolionem
180	1	grandem, qui tibi	grandem qui tibi
118	27	det fœnori,	det fœnori, magis invenias,
808	27	reat	erat

Permiſſio Superiorum.

EGO PETRUS DE VERTHAMON, Provincialis Societ. JESU in Provincia Franciæ, permitto, ut Franciſcus Vavaſſor ex eadem Societate, PETRI JOANNIS PERPINIANI, noſtri quoque ordinis, & noſtrorum virorum judicio probatas, aliquot epiſtolas emittat in lucem. Pariſiis 27. Decemb. 1679.

PETRI JOANNIS PERPINIANI SOCIETATIS JESU ALIQUOT EPISTOLÆ.

Quintus Marius Corradus Petro Ioanni Perpiniano.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA PRIMA.

MARCELLUS frater meus, qui ſuperioribus diebus Roma ad nos rediit, miros de te mecum ſermones agitat quotidie; & omnino tibi vix unum aut alterum confert, plurimarum artium ſcientia, ſplendore

orationis, acumine judicij, aut omnium elegantia & gravitate ſtudiorum. Ventitare ſe ait conſueviſſe ad te, & frui ſuavitate caſtiſſimi ſermonis, optimi ingenii, & incomparabilis doctrinæ tuæ. Narrat mihi ſæpius meditari te, & ſcribere de illa parte dialecticæ, quæ pertinet ad inveniendum, præclara quędam & admirabilia, quibus non ſperat unquam ſe viſurum eſſe meliora. Denique me his in ſtudiis ab adoleſcentia verſatum, & nunc M. Tullij Ariſtoteliſque ea de re ſententiam recte conjungere cupientem, impulit ut ad te ſcriberem. Pollicetur enim fore, ut, quæ tua eſt humanitas atque doctrina, acutiſſime libentiſſimeque reſpondeas, quid tibi de ſenſu duorum hominum, quibus nihil in terris æquale unquam fuit, judicandum eſſe videatur. Quamobrem te etiam atque etiam rogo, non tam ut ſervias, quam ut libenter ſervias cupiditati, ne dicam etiam huic neceſſitati meæ. Illud ſcire te volo, quæcunque erunt ingenii ac ſcientiæ tuæ, illa me uni tibi accepta referre, omnes homines, quibus videre mea ſcripta contigerit, eſſe cogni turos. Non ſoleo enim aut ingratus eſſe recte admonentibus, aut invidus alienæ laudi. Miſi capita quædam

ad te rerum, quas mihi velim explicari. Non dubitat frater meus, quin poſſint hæc a te paucioribus illuſtrari, quam ſunt a me propoſita. Quod ſi pluribus ea verbis elucidari ſit neceſſe; tamen cogitabis, id quod profecto cogitas, nec ſcientiæ tuæ quicquam, nec vitæ, quam ſanctiſſime habes inſtitutam, magis quam hujuſmodi officia, & in omnes homines beneficentiam, convenire. Vale.

Petrus Ioan. Perpinianus Q. Mario Corrado.

II.

PRoditum eſſe me video, Quinte Mari: & proditum ab homine mei ſtudioſiſſimo: & proditionis novo quodam genere, & inuſitato. Ignoſco tamen proditori, quippe qui benevolentia, non perfidia, peccavit. Sed ut inſperanti mihi accidit, ut vir tanta doctrina, quantam & epiſtola, & quæſtiones præ ſe ferunt, quidquam ex me quærendum arbitraretur; ſic tibi præter opinionem evenit, ut eo tempore ad me ſcriberes, quo ego ne ſi maxime quidem vellem, reſpondere poſſem. Verum enim ex me audies. Dicturus de perfecta doctoris Chriſtiani forma, D. Lucæ feriis, ita ſum occupatus

in commentando, ut aliud nihil agere, vel cogitare liceat. Nam cum me tardiorem eſſe intelligam, quam ut ſubitas orationes explicare poſſim; hanc ex tempore dicendi gloriam ceteris relinquo; ſoleo ipſe dare operam, ne ad dicendum veniſſe videar imparatus. Utinam ſtatim ad ſingula reſpondere licuiſſet, ut errore iſto, in quem te Marcelli erga me ſtudium induxit, quamprimum liberareris. Verum & ejus, ut dixi, amori ignoſco; & ad ea capita, quæ accepi, ſtatim ut ero nactus aliquid otij, reſpondebo: non quod boni quicquam allaturum me eſſe confidam, ſed ne tuæ videar defuiſſe voluntati. Vale.

Petrus Ioan. Perpinianus Q. Mario Corrado.
III.

NImium diu tibi debeo, quidquid hoc eſt, quod promiſi. Id adeo valde mihi præter ſpem evenit. Nam commentandi, agendique laborem conſequuta eſt gravior ſcholæ noſtræ occupatio: juſſuſque ſum præter conſuetudinem, ſed non præter optatum meum, nec, ut ſpero, ſine fructu diſcipulorum, quinque horas in erudienda, & exercenda juventute, quotidie collocare: ut vix ali-

Digitized by Google

quando libere reſpirare poſſim. Nunc, etſi ſero, mihi tamen dependere certum eſt potius, quam abjurare. Tibi quidem hoc officium meum, qualecunque eſt, tanto gratius, & jucundius accidet, quam tum, cum accepi literas tuas, accidiſſet, quanto minus forte jam ſperabas, me promiſſa patraturum: ut non accuſanda, ſed amanda tibi ſit mea tarditas, quæ multo plus ſit allatura voluptatis, quam ulla celeritas attuliſſet. Quamquam ubi perlegeris, quæ tibi mitto, multum profecto de illa lætitia, quam primo aſpectu capies, diminuetur. Nam & perpauca ſunt; cum de quæſtionibus a te propoſitis, quatuor tantum, videlicet tres primas, & ſeptimam complectantur: &, ut ego arbitror, ejuſmodi, ut tibi, homini tam erudito, prope puerilia debeant videri. Sed ego ſive ſtudio tuo, ſive, ut tu ipſe vocas, cupiditati obſequi volui: vel ne ſuperbus, & arrogans viderer, ſi reſpondere recuſarem; vel ne in hac ſocietate noſtra meo vitio deſiderares illam humanitatem, quam merito putas hiſce vitæ rationibus maxime convenire; vel certe ne deceptus Marcelli fratris tui, viri optimi, ſermone, ab ipſius comitate, & amore in me ſingulari magis, quam a veritate profecto, majus de me quiddam, quam quantum

in me eſſe ſentio, ſuſpicareris. Tuæ pietatis erit, ſi quid offenderis fortaſſe, quod probes, id Deo totum aſcribere bonorum omnium auctori: humanitatis autem, ſi quid minus commode, ſi quid inepte, ſi quid falſo dictum arbitrabere; arbitraberis autem multa, ſi ad acerrimam judicii tui normam unumquodque dirigere volueris: quidquid igitur ejuſmodi repereris, in eo veniam tribuere ſtultitiæ meæ, ſuavitatis erit, & humanitatis tuæ. Quid enim ego non modo perfectum, ſed mediocriter elaboratum in lucem proferre poſſum; qui tot jam annos in hoc gymnaſij piſtrino vivo, mihi quidem cæleſtem illam, beatamque vitam intuenti, perjucundo, ſed tamen piſtrino: cujus aures diurno puerorum ſtrepitu, & clamore feſſæ, vix in cubiculo de nocte conquieſcunt; cujus animus tot tantiſque docendæ, & inſtituendæ juventutis curis diſtinetur, ut antea tota res interdum explicanda ſit, quam ejus ulla inſideat in mente, vel informata cogitatio: ſtudium hoc noſtrum totum eſt in ejuſmodi rebus occupatum, quæ tametſi præſentis laboris moleſtiam æternæ vitæ ſpe, & jucunditate compenſent, tamen nec ad orationis laudem accommodatæ ſunt, & a reconditarum artium doctrinis, mirandum

in modum, homines retardant. Verum hoc, quantulum id cunque eſt quod poſſumus, tibi ſane ſerviet, & ſerviet non ſolum æquo animo, ſed etiam, ut te velle intelligo, perquam libenter. Quare, & hæc pauca eo animo legito, quo dixi; & reliqua, nihilo meliora tamen, expectato. Curabo ego quoad potero, ne meam negligentiam accuſare poſſis: tu illud cogita, memet mihi eſſe librarium. Vale. Romæ, quinto Kal. Decembris, M D. LXII.

De quatuor quæſt. 1ª. 2ª. 3ª. & 7ª. hæc habui ſcribere.

IN locis inveniendi primum axiomata ſunt per ſe nota, & illuſtria, quæ Boetius in lib. II. de differentiis top. appellat primas, ac maximas propoſitiones, propterea quod fidem aliis omnibus faciunt, ipſæ aliunde non accipiunt: deinde pręcepta quędam, quæ veteres peripatetici παραγγέλματα vocabant. Ea ſunt, ut Alexander tradit in lib. I. top. velut admonitiones quædam, latius patentes, quam axiomata, & ſimpliciores, ex quibus illa reperiuntur, ut apud Ariſt. initio lib. 2. top. Videndum eſt, an id, quod alio modo dicatur, pro accidente

ſit explicatum. Unde illa emanant: Si dicitur ut genus, ſi ut proprium, ſi ut definitio, accidens non eſt. Sic præcepta quidem tametſi pauciora ſunt, quam axiomata; ſingula tamen ſi conſectari velis, permulta ſunt; ſi vero generatim ea deſcribas; omnia perpaucis generum ſummis comprehendi poſſunt: ut videndas eſſe definitiones, diviſiones, contraria, quas Boetius vocat differentias maximarum propoſitionum, ideo quod axiomata prope innumera his quaſi capitibus diſtinguantur, ut alia ſint definitionis, alia diviſionis, alia aliorum generum. Theophraſtus igitur, aliique complures peripatetici, ut ex Alexandro cognoſci poteſt, axiomata ipſa ſimpliciter, & abſolute vocabant locos: cetera unde illa oriantur, vel præcepta, & admonita, vel cum adjunctione locos παραγγελματικούς, id eſt præcipientes, & admonentes. Eandem Ariſtotelis fuiſſe de locis argumentorum ſententiam, ut Theophraſti, & aliorum veterum interpretationem omittam, quæ vel ſola ſatis apud nos valere deberet, ex ipſius topicis arbitror poſſe cognoſci. Nam etſi anguſtiora præcepta ſæpenumero pro locis explicat qualis eſt ſectio 2. 4. & 5. lib. 2. ſæpe autem ſumma illa capita, quibus omnia præcepta continen-

tur, qualis eſt 3. locus lib. 2. item ille ex notatione, ex contrariis, ex conjugatis, ex ortu & interitu, ex cauſis efficientibus, & interimentibus: tamen ea ponit ſolum, ut axiomata reperiantur, quæ præcipua cura perſequitur, licet omnia promiſcue locos appellet.

His ita poſitis, facile, niſi ego fallor, tres primæ quæſtiones explicantur. Et, ut a tertia potiſſimum initium faciam, non mihi videtur Ariſt. his lib. top. qui nunc extant, omnes penitus locos fuiſſe complexus, ſi axiomata nomine locorum ſignificari velis. Neque definitionis enim, neque notationis initia & capita propoſuit, & in diviſione, conjugatis, cauſis efficientibus, & interimentibus, aliiſque generibus locorum paucis expoſitis, quæ ad quæſtiones conjunctas, ubi quæritur, quid cuique rei conveniat, pertinebant, omnia prætermiſit, quæ ſunt propria ſimplicium quæſtionum, ubi ſimpliciter quæritur, quid omnino ſit in natura rerum: quod ille quidem fecit ad eam, qua fuerat uſus, problematum diſtributionem accommodate. Ac ſi verum fateri volumus, ne anguſtiora quidem illa præcepta omnia perſecutus eſt: nec ad eam, quam inſtituerat inveniendi rationem, erat utilis, aut neceſſarius iſte labor. Satis namque erat

omnia genera univerſa proponere, quibus, & præcepta, & axiomata continentur: ex his autem, quæ ab illis fontibus manant, multa notare, ut eadem via poſſet, qui vellet ad cetera pervenire: id quod acerrimo vir ingenio excellentique doctrina diligentiſſime fecit. Quare locos ab Ariſtotele propoſitos, & plures in partes dividi, quod parum utiliter mihi Rudolphus feciſſe videtur, & ad pauciora genera, ut a nonnullis poſtea factum eſt, revocari, & præceptis, atque axiomatis partim depromptis ex aliis ejuſdem philoſophi libris, partim ingenio ex ipſa natura rerum erutis, locupletari poſſe confiteor: generibus tamen ipſis amplificari numerum eorum poſſe non arbitror. Vide in extrema diſputatione de quarta & quinta quæſtione. Etenim argumenta omnia vel ex partibus quæſtionis depromuntur, vel extrinſecus aſſumuntur. Quæ aſſumuntur aliunde, teſtimoniorum vi, & nomine continentur. Quæ ex quæſtione ipſa eruuntur, vel ex ſubjecta, vel ex re attributa, partim ſimplicia ſunt, partim conjuncta. Conjuncta, quæ ab aliis argumentorum locis oriuntut, diviſiones, partitiones, definitiones. Simplicia vel in re poſita ſunt, vel in verbo. In verbo notatio,

& conjugata. In re vero quæ ſunt, aut tractantur abſolute, aut cum comparatione. Comparatio majorum eſt, & minorum, & parium, & ſimilium, & diſſimilium. Abſoluta partim conſentanea ſunt, partim diſſentanea. Hæc vel contraria, vel repugnantia. Conſentanea aut ita ſunt affecta ad id unde ſumuntur, ut unum ex altero efficiatur, aut ut neutrum efficiatur ex altero. Si neutrum ex altero, genera ſunt, & ſpecies, vel ſubjecta, & adjuncta. Si unum efficiatur ex altero, aut ſunt cauſæ, & effecta, aut tota & partes. Quocirca & plura genera non opinor poſſe conſtitui. Præſertim, cum tot ſæculis homines, & ſummis ingeniis,acerrimo ſtudio, & varia multiplicique doctrina, nihil addiderunt, quod non ſit in his capitibus comprehenſum. Vide in extrema diſputatione de quarta & quinta quæſtione. Nam ſubjecta ſatis adjunctorum genere ſignificata ſunt, quibuſcum non tam conjuncta ſunt, ut alia ſine aliis nec intelligi quidem poſſint: vel etiam adjunctis ipſis continentur, ut Ariſtotelis & Ciceronis ratione, virtuti eſſe in animo rhetori, eſſe in corpore dicatur adjunctum.

De Ariſtotele dixi non id fortaſſe quod eſt, verum id certe, quod mihi videtur. De Ci-

cerone, quæ prima erat quæſtio, paucis accipe, quid ſentiam. Ego virum ingenio doctrinaque præſtantem, cum is ab Ariſtotele primum traditam inveniendi rationem vellet in pauca conferre, ſapienter e numero, tum axiomata, tum anguſtiora præcepta removiſſe, generaque tantum univerſa, quibus omnia continentur, propoſuiſſe credo, eaque vocaſſe locos, Ariſtotelis amore, qui ſæpe, ut ante docui, generum ſummis tribuit hoc nomen. Et certe ſi ab axiomatis argumenta manant, axiomata vero præceptis anguſtioribus, hæc rurſus generibus ſummis continentur; ab his omnia oriri neceſſe eſt. Sed neutra mihi ratio videtur eſſe plane perfecta. Ariſtotelis enim ars hoc habet boni, quod cum axiomata proſequatur, quibus omnis argumenti cujuſque vis continetur, illa cognita facilius argumenta depromuntur ex locis. Illud autem mali, quod cum axiomata permulta ſint, neque memoria ſepiri facile, neque ad uſum ſatis expedita eſſe poſſunt, quamvis problematum generibus, ut ab Ariſtotele diligenter factum eſt, diſtinguantur.

Porro in præceptis Ciceronis, qui ſumma genera tantum explicat, magna eſt hæc utilitas; quod cum pauca ſint, & memoria fa-

Digitized by Google

cile cuſtodiri, & ad omnem uſum in promptu eſſe poſſunt. Illud vero incommodi, quod, cum axiomata prætereantur, difficile eſt videre quomodo ex locis ab eo propoſitis argumenta ſumantur. Quapropter ſi quis aliquando duorum virorum excellentium diſſimiles vias, rationeſque conjunxerit, ut idem, & univerſa genera proponat, & in ſingulis propria cujuſque principia, & axiomata ſedulo perſequatur, eorumque uſum tum apud philoſophos tum apud oratores, & poetas & hiſtoricos perite demonſtret; is, ut mihi quidem videtur; non enim explicare poſſum niſi ſententiam, & opinionem meam; inveniendi perfectam quandam artem effecerit, & omnibus numeris abſolutam. Ac nonnulli quidem eruditi homines hoc jam perficere conati ſunt, quorum ego facile principem non vereor affirmare Joachimum Perionium extitiſſe. Eos excipio, ſi qui forte nondum ad meas manus pervenerunt. Sed in omnbus, quorum quidem ſcripta viderim, eſt quod meus animus requirat, quia nemo ſatis videtur perſpexiſſe, quantum inter argumentum, & amplificationem interſit, nemo locorum uſum univerſum, tam varium, & tam multiplicem non dico præceptis, ſed ne cogi-

Digitized by Google

tatione quidem comprehendit.

Hæc tu fortaſſe non expectabas: venio ad illud ipſum, quod tu requiris. Omnes locos, ad omnes quæſtiones dialecticas explicandas ab Ariſtotele propoſitos, non aliter exiſtimo Ciceronis locis, quam generibus partes, comprehendi. Qui vero Ariſtotelis loci, ad quos Ciceronis locos referendi ſint, neque eſt hujus noſtræ tam brevis, & tam exiguæ ſcriptionis exponere, neque humanitatis tuæ rem tam longam ab homine occupatiſſimo vel poſtulare vel expectare: præſertim cum, & Ariſtoteles ipſe non raro genus univerſum indicet, & ubi non demonſtrat ipſe, tu facilius quam ego, notare poſſis, cui tanto plus vel doctrinæ vel otii ſuppetat ad judicandum. Hoc tantum admonebo breviter, non modo locos in accidentis quæſtione traditos, ſed alios etiam aliarum quæſtionum ad eoſdem fontes videri mihi debere revocari. Vale.

Q. Marius Corradus Petro Ioan. Perpiniano. IV.

HUmaniſſimis tuis literis valde ſum adjutus ad quæ mihi dubia videri ſcrip-

ſeram. Credas mihi hoc licet, homini minime blando, & qui illis de rebus, quid exiſtimandum ſit, ignorare nolim. Mihi enim a te ſatisfactum ſi non eſſet, quum tamen rectiſſime te in peripateticorum & M. Tullij doctrina, excellentiſſimeque verſatum eſſe, & acceperim à fratre meo, & ipſe in tuis cognoverim literis; profecto nunc illud cogitarem, ignorare te non poſſe ea, de quibus ad te ſcripſi. Itaque fretus humanitate tua, iiſdem de rebus iterum te rogarem, ſi quid a te meis fortaſſe in literis erratum eſſet. Nunc vero eſt, quod magnas agam tibi gratias, qui doctiſſime ſimul & luculenter ſcriptis ad me literis, nihil reliquiſti, quod me ſuſpenſum amplius tenere poſſit; & quidem illa ſcripſiſti quæ ad meum ſenſum per mihi viſa ſunt eſſe accommodata. Non enim ego his de rebus nihil ante ſentiebam: ſed an rectiſſime ſentirem, ex doctiſſimorum hominum judicio ſtatuebam. Aliquem vero tanta doctrina, tanta denique modeſtia, qui non e ſummis admirandiſque hominibus, alterutrum ignoret, aut contemnat, mihi non facile erat invenire. Itum eſt ergo ad te, quem de ſermone fratris mei primum, deinde de ſcriptis, hominem eſſe multo doctiſſi-

mum cognovi. Scripſi autem ſubito nec ſatis accurate ad te literas. Quare animadverti etiam, admonitus, quædam ſcrupuloſe, nimiſque ſubtiliter quæſita eſſe a me, quæ prudenter tibi ex aliarum explicatione rerum intelligi poſſe viderentur. Sic igitur ex his rebus te velim exiſtimare, me tibi devinctum eſſe, memoriamque nominis, ſcientiæ ac virtutis tuæ, in omne tempus conſervaturum. Colere enim ſoleo omnes doctiſſimos homines, ut nullos Romæ, pauciſſimos in Italia eſſe ſciam tui ſimiles, quibuſcum amicitia mihi non ſit, aut uſus literarum. Ad te vero diligendum impulit me eadem, quam tibi ceteris cum eloquentiſſimis omnibus communem eſſe cognoveram, ſimilitudo ſtudiorum, ſingulariſque doctrina: ſed multo magis etiam vitæ genus inſtitutum, & conſtans fama continentiæ & ſanctitatis tuæ. Cupio tibi ſecunda omnia evenire, ad quæ cœpiſti, vel de ſtudiis ad Romanam linguam, bonaſque artes omnes excolendas, vel de ſumma vita ad cæli vias omnes rectiſſime perſequendas. Scribes, oro, ad me, quoties liceat per ſtudia ac moleſtias, quas intelligo ex tuis literis eſſe valde graves. Literas ad me perlatas exiſtima, ſi eas in Pauli Manutij

Digitized by Google

Manutij domum, aut Annibalis Paulini miſeris, ejus cui proximas dediſti. Scribit enim ſæpius hic publicis de rebus noſtris. Vale. Uriæ.

Petrus Ioann. Perpinianus Q. Mario Corrado.
V.

POſtquam ad te ſcripſi hyeme ſuperiore, ut me facturum eſſe promiſeram, quę mihi eadem, quæ tu quæris, inveſtiganti veniſſent in mentem; non omnia, ſed quæ tum ſcriberę licuit, per quotidianas occupationes meas; egregia quadam tibi obſequendi voluntate, magis, quam facultate, reliqua perſequebar. Et quidem bene longam de adjunctorum loco diſputationem ante jejunium quadragenarium confeciſſem, niſi curſum illum induſtriæ, cum valetudo mea, tum diuturniores eorum, quibus deeſſe non poteram, & graviores morbi, & illæ, quas tu vere moleſtias vocas, ego tametſi moleſtiæ ſint, Dei tamen cauſa delicias ducere debeo, tanquam adverſi venti retardaſſent. Hic quid mihi accidiſſe dicam, homini minime otioſo? Scis quanto ſit facilius, etiam ab omni

Digitized by Google

negotio remotis, inſtituere novum opus, quam perficere longo intervallo intermiſſum. Verum, neque me cujuſquam valetudo, neque magnitudo occupationum, neque operis jam dudum inchoati, necdum perfecti, faſtidium tam impedivit, quam tarditas tuarum literarum. Nam etſi accepiſſe te munuſculum a nobis miſſum ex Annibale Paulino cognoveram: quam te tamen delectaſſet, vel, ut tu dicis, adjuviſſet, neſciebam: & conſcius ipſemet tenuitatis meæ, quo diutius tacebas, eo magis ex tuo ſilentio leviora tibi illa, ut ſunt, viſa eſſe colligebam. quæ res, vere ut loquar, meum animum vehementer debilitarat, & deterruerat a ſcribendo. Nam ut in Hecyra ſervus ille non imprudens, eum, qui amat, cui odio ipſus eſt, ſic ego eum, qui gratificari ſtudet, cui ſtudium ipſius non eſt jucundum, bis facere ſtulte duco. Laborem enim inanem ipſus capit, & illi moleſtiam affert, cui gratum facere conatur. Commotus tamen, cum Pauli Manutii, & Aldi ejus filii cohortationibus, qui tuo nomine ſæpius hoc a me penſum exigebant, tum multo etiam magis promiſſo meo, ac recepto, decreveram quamprimum ſi poſſem, fidem meam liberare; cum

mihi XIX. Cal. Sept. domum revertenti fit opportune obviam Annibal Paulinus pręter expectationem utriuſque. Habeo, inquit, ad te a Mario Corrado literas, perveteres, opinor, & Neapoli diutius æquo per incuriam retentas. Ago homini quas poſſum gratias: oro, primo quoque tempore ad me mittat: tecta ipſa; non enim longe ab ædibus noſtris aberamus; puero demonſtro. dies unus, alter, tertius: non mittit. Adeo ipſe hominem, ejus occupationibus facile ignoſcens. Reddit epiſtolam: lego. quantam ceperim animo voluptatem, tu ipſe de te facito conjecturam. Lætatus profecto ſum mirum in modum, atque etiam nunc vehementer lætor, & gratum fuiſſe tibi laborem meum, & probari, quę ſcripſi: & quamvis valde ſero ad me fuerint perlatę literæ; cum ipſe tamen cito reſcripſeris, negligentiæ nomine te accuſari non poſſe. Itaque quantum mihi animi ademerat expectatio diuturna literarum, tantum, ne dicam amplius, addidit incredibilis morum tuorum ſuavitas, & comitas verbis, ac ſententiis mirabiliter expreſſa. Una me res non mediocriter offendiſſet in literis tuis, niſi ab humanitate ſingulari, & mirifica erga me benevolentia viderem pro-

fectam eſſe, quod tuo, fratriſque judicio tribuiſti mihi tantum, quantum tibi quidem aliiſque tui ſimilibus jure debetur, huic vero meæ mediocritati, vel potius exiguitati non arbitror eſſe tribuendum: infantiamque meam, & inſcitiam tantam, quæ ex ultimis barbariæ fluctibus dudum emergens, ne furari quidem Romanam civitatem, & in tabulas poſſit irrepere, cum Italiæ vel orationis, vel doctrinæ copiis auſus es comparare. Magnum quiddam eſt, ac multo etiam majus, quam homines opinantur, multiplices Ariſtotelis, & Marci Tullii vias, rationeſque cogitatione complecti, & doctrinæ laudem cum dicendi exercitatione conjungere. Quod qui fecerunt, ſi pietatem iidem, & religionem ſuam retinuerunt, eos ego principes humani generis exiſtimandos puto. Sed ab hoc ipſe genere tam longe abſum, ut tibi gratias ingentes habeam, & agam, quod mihi plus quærendo profueris, quam ceteri docendo: ſimulque ad P. Manutii conſuetudinem, atque adeo familiaritatem aditum patefeceris, cujus dictis, & reſponſis, prudentiæ, & doctrinæ plenis, factus in dies doctior, non dico ipſius copiis, ſed vel ſolo nomine meam inopiam locupletare, & cohoneſtare

poſſim. Quod enim mihi te devinctum eſſe, memoriamque nominis, ſcientiæ, & virtutis meæ in omne tempus conſervaturum profiteris; declaras tu quidem ingenuitatem, & modeſtiam tuam ſingularem: ſed neque video cur mihi ſis obſtrictus, cum tantum mihi tu boni attuleris, ego nihil tibi: neque meum nomen, aut tua aut cujuſquam eruditi hominis memoria videtur eſſe conſervandum: & ſcientiam, atque virtutem, etiam ſi habere optabile eſt, tamen non habere me confiteri cogor invitus. Quare quod prioribus literis non obſcure ſignificabas, te inſtituiſſe aliquid ſcribere, in eo autem opere quod & elegans, & eruditum fore confido, quęcunque eſſent ingenii, & ſcientię meę, uni mihi accepta relaturum eſſe pollicebare; id ne faceres ex animo abs te, & vehementius etiam contenderem, quam poſſem, niſi te ſine cujuſque admonitione videre crederem, & quantum de auctoritate tua detractura ſit humilitas nominis ignoti, & quam parum conveniat ſuſceptis a me vitæ rationibus hominis ingenio doctrinaque prętanti literis commendari. Ego quod feci, ut tibi obtemperarem feci, non ut majus, quam me dignum eſt, præmium acciperem commen-

dationis, & prędicationis tuæ. Habes duos ſummos viros, quibus, & tuendis, & laudandis nomen tuum jucundius & amabilius ad poſteros efficias, Ariſtotelem dico, & Ciceronem, quos cum ſemper exiſtimaſſem ſuſpiciendos omnibus, & colendos eſſe, dolebam equidem, & vehementer angebar partim levitate, partim ignoratione multorum eis neſcio quos arborum ſylveſtrium infelices ramos aculeis ſuis tam moleſtos extitiſſe. Nunc vero gaudeo, ac triumpho, exortum eſſe hominem tam illorum ſtudioſum, ut velit; tam bene animatum, ut audeat; tam paratum ab omnibus rebus, ut poſſit; non modo aculeos omnes retundere, verum etiam ramos ipſos amputare. Eorum igitur perveterem & doctiſſimorum hominum acerrimis judiciis comprobatam diſciplinam, ut illuſtres tuis monumentis, & ab imperitorum maledictis fortiter defendas, ut te facere decreviſſe intelligo, per humanitatem tuam te oro, & obteſtor: meum vero nomen in rebus tantis inculcare, neque gravitatem tuam decere arbitror, neque humilitatem meam. Hoc ego quo facilius impetrare valeam, mittam tibi cum hac epiſtola neque concinnam, neque eruditam, neque bre-

vem de adjunctorum loco diſputationem, qua duabus quæſtionibus a te poſitis, ut potero, reſpondebo. Addam pauca quædam, quæ in illis, quę accepiſti, mihi deſiderari viſa ſunt. Tu illud ſemper cogita in amicorum officiis non quanti quidquam ſit, ſed qui ſit cujuſque animus, ponderandum eſſe. Ita fiet, ut & meus hic ſcribendi labor tibi non ſit injucundus, & ſi quid a me peccatum erit, humanis amiciſſimi hominis erroribus veniam tribuendam putes. Quæ prę̨terita quodam loco fuerant, ea ad extremum adſcribenda curavi notato loco. Vale. Prid. Non. Sept.

De duabus quæſtionibus 4ª. *&* 5ª. *hæc habui ſcribere.*

PEracute mihi Socrates apud Platonem in Gorgia duo colligere videtur genera perſuaſionis: ſic enim appellare malo, quam Græci vocant πειθὼ, quam vel ſuadam, vel ſuadelam. unum διδασκαλικὸν quod veram perfectamque ſcientiam ejus, quod perſuadetur, conficit in animis auditorum: alterum πιστικὸν, quod fidem tantum & opinionem rei quandam ingenerat, non pervenit ad ſcientiam. Illud proprium eſt ea-

Digitized by Google

rum artium, quæ ſolæ ad antiquorum philoſophorum normam ſcientiæ dicuntur, ut arithmeticæ, geometriæ, ut phyſiologiæ multis in rebus: hoc duabus facultatibus mihi videtur eſſe commune, dialecticæ, & eloquentiæ, quas vere M. Tullius in parte nominat ſapientiæ comites, & adminiſtras. Dialecticam autem accipi volo, non ut vulgo ſolet, ſed ut ab Ariſtotele in topicis aliiſque fere libris, & ab omnibus antiquis Ariſtotelis interpretibus uſurpatur. Neutra enim rem ita docet, ut ejus plane ſcientiam efficiat, ſed utraque probabiliter argumentando quandam ſolum excitat opinionem; id quod ex Ariſtotelis de dialectica libris, quæ topica dicuntur, & ex Antonii diſputatione, initio lib. 2. de orat. perſpicitur. Verum illud intereſt, quod dialectica id ſolum, quod eſt in ipſa re maxime probabile, inquirit, non tam ad hominum ſenſus, quam ad rem ipſam accommodate, ut quando ad germanam ſcientiam perveniri non poteſt, certe ad cognitionem ſcientiæ proximam perveniatur: eloquentia vero non tam, quid in re ſit maxime probabile, quam quid ad mentes hominum tractandas, & rem propoſitam auditoribus perſuadendam præter ce-

Digitized by Google

tera ſit idoneum, inveſtigat, ut quod ab iis contendit, obtinere poſſit. Quapropter poſterioris perſuaſionis duo mihi videntur eſſe genera: unum populare, aptum ad hominum ſenſus, proprium oratoris: alterum quamvis a perfecta ſcientia longe remotum, exquiſitum tamen, atque ſubtile, ad naturas rerum & ad eas diſputationes, quæ reconditis in artibus verſantur, accommodatum: quod ſibi totum jure aſſumunt, qui dialectici vocantur. Itaque cum una res vel argumentis perſuaderi poſſit, vel permotione animorum: ſolaque argumenta ad rem ipſam adhibeantur, motus autem vel ille gravior, vel alter levior, non ad rem demonſtrandam pertineat, ſed ad hominum animos labefactandos, veluti machinatio quædam admoveatur, ut eſt apud Ariſtotelem in lib. 1. de arte rhet. dialectici quidem ſolis argumentis utuntur: oratores & argumentis, & motu animorum, qui conficitur amplificando.

Atque argumentum quidem proprie dicitur id, quod ſumitur ad probandum, ejus autem explicatio, argumentatio; licet interdum M. Tullius argumentationes dicat pro argumentis: ſententia vero ſumpta ad augendum ejuſque ſententiæ tractatio uno

nomine amplificatio nominatur. Neque vero inficior, magnam eſſe argumentationis, & amplificationis affinitatem, ut Quintil. indicat in lib. VIII. cap. IV. Sumuntur enim ex iiſdem locis: & ut in narratione, ſic etiam in omni amplificatione, bona quædam argumentorum ſemina ſparguntur, quæ quanto ſunt crebriora, tanto graviorem reddunt amplificationem, & nervoſiorem. Ac ſæpe oratores in amplificando, non occulunt, neque tegunt argumenta, ſed ea deprompta, & eruta, tanquam tela amentata torquent, ut M. Tullius in lib. 5. accuſationis, augens Gavianæ crucis indignitatem: *Si hæc non ad cives Romanos*, &c. & rurſus: *Paulo ante, judices*, &c. & aliis plurimis in locis. Sed qui propterea putant, amplificationem prorſus eſſe argumentationem, & in augenda re, non minus quam in probanda argumentis uti oratorem: fortaſſe fallor, & dum novos dicendi magiſtros reprehendo, ipſe committo, ut ab aliis jure reprehendar: dicam tamen quod ſentio: Qui argumentis confici putant amplificationem, magno mihi videntur in errore verſari. Nam & fines diverſi ſunt, ut diſpar argumentationis amplificationiſque tractatio, & valde diſſi-

Digitized by Google

mile genus orationis. Argumentatio namque cognitionem auditoris, amplificatio motum requirit: in argumentatione unaquæque res ratione concluditur, & comprobatur; in amplificatione nihil ratione aſtringitur, nihil confirmatur, ſed quod certum eſt, aut pro certo poſitum, exaggeratur altius, & verbis effertur: argumentandi tenue ſolet eſſe dicendi filum; in amplificando vero vel omni lenitate, & ſuavitate condita ad conciliandum, vel gravis, fortis, & ardens ad inflammandum auditorem adhibetur oratio. Itaque M. Tullius in partit. argumentationes in exornatione adhiberi negabat, amplificationes fatetur: & in II. de orat. lib. duas illas partes, quarum una conciliationem habet, altera permotionem, nihil docere argumentando, perſuadendo tamen & commovendo plurimum proficere confirmat, ubi collocandi rationem exponit: & paulo ante longam de ridiculis diſputationem, ita ſcriptum reliquit. *Non enim ſicut argumentum, ſimul atque poſitum eſt, arripitur, alterumque & tertium poſcitur, ita miſericordiam aut invidiam, aut iracundiam, ſimul atque intuleris, poſſis commovere. Argumentum enim ratio ipſa confirmat; quæ, ſimul atque*

Digitized by Google

emiſſa eſt, adhæreſcit. Illud autem genus orationis non cognitionem judicis, ſed magis perturbationem requirit, quam conſequi niſi multa, & varia, & copioſa oratione, & ſimili contentione actionis nemo poteſt. Ex quo ego loco tria diſcrimina, quæ ſupra poſui, non opinor inepte colligi. Denique in partit. cum jam ante in confirmatione docuiſſet, quemadmodum argumenta ſumerentur ex locis, in peroratione poſtea ſeparatim docuit, quo pacto ſententiæ ad amplificandum ex iiſdem locis depromerentur: quod nunquam ille feciſſet, ſi in augenda re putaviſſet argumentari oratorem.

Eandem autem fuiſſe Quintiliani de argumentatione & amplificatione ſententiam ex lib. VIII. cap. IV. cognoſci poteſt, ubi comparationem quandam ex Cluentiana defenſione Ciceronis explicat. Nam quando M. Tullius in partit. diſputans de partibus orationis, affirmat amplificationem eſſe quandam argumentationem, id ſi diligenter conſideretur, pro nobis magis eſt, quam contra nos. Non enim ſimpliciter tum appellat argumentationem, ſed vehementem quandam argumentationem, ſtatimque addit, argumentationem eſſe, docen-

di cauſa; amplificationem, commovendi: qui tam diverſi fines facile declarant, res eſſe valde disjunctas. Quocirca in eodem lib. cum amplificationem definiret, nomen argumentationis omiſit. Cur igitur argumentationem eam nominavit? Quia cum argumentatio directo ſpectet ad fidem, amplificatio ad motum, tamen hæc in motu quodammodo ſe inflectit ad fidem, & veluti anfractu quodam pervenit eodem, quo recta fertur argumentatio, id quod proximis verbis ſuperioribus Cicero tetigerat; cum amplificationem quoque diceret valere multum ad fidem. Ergo ſit hoc conſtitutum, cum oratores utantur, & argumentis, & amplificationibus, in amplificanda re, non argumentari oratorem, & longe aliam eſſe argumentationis amplificationiſque naturam.

De narratione idem arbitror eſſe dicendum. Habet enim argumentorum momenta quædam: ex quo dicitur a Cicerone, fundamentum fidei, a Quintiliano vero probationis continua propoſitio: argumentis tamen caret. Quod ſi in illis narrationibus verum eſt, quæ ſunt propriæ cauſarum, vel interponuntur interdum, in illis profecto veriſſimum erit, quæ ſunt

a cauſis plane remotæ. Quare hiſtoria argumenta non habebit niſi forte ſi quid aliquando, quod nonnunquam accidit, confirmandum erit, aut refellendum. Quid in exornationibus? non aperte negat M. Tullius argumentationes ullas adhiberi? qui vero rem aperit definiendo, qui deſcribit, qui tribuit in partes, hunc quis dicat argumentari? quamvis definitiones, & diviſiones ad probandum ſumi poſſint, at omnia, & argumenta, & amplificationes, & expoſitiones, & exornationes, & definitiones, & diviſiones ex iiſdem inveniri locis, nemo, credo, vel mediocri rerum uſu dubitabit. Quæ cum ita ſint, non is tantum eſt locorum uſus, qui pertinet ad argumentandum, & eſt oratoribus communis cum dialecticis, verum ille etiam, qui proprius eſt oratorum ad augendum, & diminuendum, ad narrandum, ad hiſtoriam ſcribendam, ad laudandum, & vituperandum; & ille rurſus ad definiendum, & dividendum, qui eſt omnium diſciplinarum, atque etiam oratorum; ille denique ad ſcribendum, qui cum poetarum ſit magis, & oratorum, a philoſophis tamen non contemnitur, ubi de metallis, de gemmis, de ſtirpibus, de animantibus aliquid

ſcribendum eſt. Et quidem fieri poteſt, imo ſæpe fit, ut qui locus ad argumentandum ſit tenuis , idem ſit ad res ceteras uberrimus. Cur ergo loci dicantur argumentorum ſedes , cum præter argumenta res tam multæ depromantur ex locis ; id ego factum eſſe arbitror, vel quia locorum uſus ad argumentationem præcipuus eſt, & latius patet: vel quia omnes ſententiæ, quæ ſumuntur ex locis , etiamſi non ſemper ab oratoribus accommodentur ad probandum , poſſunt tamen ad probandum, ſi res ita poſtulet , accommodari. Itaque ex omnibus amplificationibus & narrationibus, ſive in cauſis tractentur, ſive extra cauſas, ex laudationibus , vituperationibus , deſcriptionibus , definitionibus , diviſionibus, licet in his non argumententur oratores , quamplurima tamen poſſunt argumenta depromi.

Quorſum ſpectat hæc tam longe repetita oratio ? vt intelligi poſſit , quam vehementer ab illis diſſentiam , qui locum adjunctorum vel ad conjecturales cauſas quaſi relegandum, vel tanquam infamem omni dedecore civem,tribu amovendum eſſe cenſuerunt. Ego namque ſi argumenta ſolum ex locis erui putarem , quem inopem,

aut infirmum eſſe viderem ad argumentandum, eum vel de numero locorum eximendum, vel non admodum accurate tractandum eſſe confiterer. Nunc vero cum præter argumentationes tam multa ſumantur ex locis, & eorum uſus longe lateque pateat, non ſi quis erit tenuis ad argumenta, continuo velut inutilem eſſe removendum puto. Fac enim argumenta omnia ex adjunctis eſſe leviſſima, quantam locus hic ſuppeditat copiam ſententiarum graviſſimarum ad amplificandum, vel conciliandi gratia, vel promovendi? Non arbitror eſſe neceſſarium homini in ſcriptis oratorum diu multumque verſato exempla notari. Sed ne quid in hac diſputatione noſtra requiratur, illa quæ dicta ſunt in Antonium ad hominis vinolentiam exaggerandam, *Tu iſtis faucibus*, &c. &, *In cœtu vero populi Romani*, &c. non vehementiſſima ſunt? non ex adjunctorum loco deprompta? Quæ vero principio libri 2. accuſationis explicantur, de dignitate, vetuſtate, utilitateque Siciliæ, ad ejus provinciæ commendationem, non & firmiſſima ſunt ad conciliandam benevolentiam, & pleraque ſumpta ex adjunctis? Quid illa in lib. 5. accuſ. de P. Gavij ſupplicio? *Huccine tandem*

dem omnia reciderunt, *ut cives Rom.* &c. & , *Quid enim attinuit*, *cum Mamertini*, &c. totaque illa ex loco, in quo fixa crux fuit, amplificatio quantam vim habet? Quæ ſequitur autem, *Si hæc non ad cives Rom.* &c. tametſi comparationem minorum habet, ſubmiſſionem tamen, & elationem eorum, quæ comparantur, ex adjunctis petit. Jam de prędonum in portum Syracuſanum introitu, *O ſpectaculum miſerum, atque acerbum! ludibrio eſſe urbis gloriam*, &c. alięque multæ de ſupplicio navarchorum, nituntur adjunctis. Infinitum eſſet indicare omnia quæ M. Tullius ex hoc loco deprompſit ad augendum. Tantum dicam, nullum mihi videri eſſe locum, aut uberiorem, aut graviorem ad amplificandum. Et quoniam amplificatio non augendi ſolum cauſa ſumitur, verum etiam diminuendi; quod de augendo dixi, idem de diminuendo & extenuando, cum hoc ſit illi contrarium, cenſendum eſt. Declarat id orationis in Catilinam ſecundæ locus inſignis, non longe ab extremo, in quo populi animos erigens orator, & excitans ad bene ſperandum de publica ſalute, & de tota illius domeſtici belli ratione, pariter & ho-

ſtium facultates extenuat, & reip. pręſidia ex contentione mirabiliter auget. Catilinam enim ipſum, tum gladiatorem confectum & ſaucium, tum latronem; ejus autem exercitum, naufragorum ejectam & debilitatam manum appellat, neque fere de adjunctis quidquam prætermiſit, quod valeret ad extenuandum.

Venio ad expoſitiones rerum in cauſis, in quibus dubium non eſt, quin frequentiſſima ſint rerum ac perſonarum adjuncta. Illa de Leonidæ ſervis in lib. v. accuſationis, nomine ſceleris conjurationiſque damnati: &, *lucebat jam fere: procedit in medium, vini, ſomni, ſtupri plenus*; &, *procedit iſte repente e prætorio, inflammatus ſcelere, furore, crudelitate*: & illa de Gavio, *cædebatur virgis in medio foro Meſſanæ civis Romanus, judices*, &c. aliaque infinita in omnibus Ciceronis orationibus, ut in defenſione Milonis, ubi narratur cædes, cum ex hoc loco ſumpta ſint, vix dici poteſt quam gravia ſint, quam oratoria. Hiſtorici vero quam multas expoſitiones ex adjunctis contexunt? Omitto cetera; in præliorum contentionibus narrandis cum omnia ſedulo colligunt, & quæ ante prælium in ipſo quaſi apparatu, & quæ poſt præ-

Digitized by Google

ſium acciderunt, non ex hoc uno fonte hauriunt infinitam prope copiam ſcribendi? Subjicerem exempla ſelecta de quam plurimis, quæ vel in T. Livii libris, vel in aliorum reperiuntur hiſtoriis, niſi ea tibi notiora eſſe crederem quam mihi.

Porro laudationes, & vituperationes cum tribus generibus bonorum & malorum contineantur; bona autem & mala ſint in adjunctis; quis non ex hoc uno loco manare fateatur? Ad definiendum quidem nullam vim habet, quoniam exquiſitum definitionis genus ex propriis rerum differentiis conſtat, non ex adjunctis, quæ a propria cujuſque rei vi & natura longe abſunt. Sed ad deſcribendum qui locus uberior cogitari poteſt? Plenæ ſunt exemplorum, eloquentium virorum orationes: plena ſcripta poetarum: pleni philoſophorum libri, ubi ſtirpes ex colore & ſapore, duritie, mollitudine, altitudine, floris fructu, foliorumque figura; animantes vero ex numero pedum & digitorum, ex forma totius oris & corporis, ex magnitudine & craſſitudine tergoris & duritie, colore pilorum, aut villorum, ceteriſque rebus ejuſdem modi deſcribunt.

Reſtat ut de diviſione dicamus: in qua

profectò tantus eſt adjunctorum uſus, ut affirmare audeam non aliunde plures oriri diviſiones rerum. Differentias enim veras cujuſque generis, quæ proprie formarum vim & naturam attingant, prorſus ignotas eſſe, illi ipſi, qui omnia ſe ſcire profitentur, vociferantur & clamant. Quod cum ita ſit, plerumque cogimur, in diſtribuendis rerum generibus, adjunctis uti. Cum rhetoricam univerſam, vel orationem Ariſtoteles dividit in tria genera, unum exornationis, alterum deliberationis, tertium judicii; probationes in artificioſas, & artis expertes; communes vero dicendi magiſtri cauſas in honeſtam, turpem, dubiam, humilem, & obſcuram: nonne ab adjunctis eſt profecta partitio? Illæ rurſus diviſiones, duo eſſe genera ſtirpium, unum ſativum, alterum erraticum, atque ſylveſtre: apii vero quinque, hortenſe, paluſtre, montanum, petroſelinum, hippoſelinum: papaver partim eſſe candidum, partim nigrum, partim rubrum: populum vel albam eſſe, vel nigram: far, aut candidum, aut rubrum, & aliæ propemodum infinitæ, unde ſunt, quæſo, ſi non ſunt ex adjunctis? Non vagabitur mea oratio longius, neque in re nota, & illuſtri nimis

multus & ineptus ero : tantum admonebo breviter, aut omnes, aut pleraſque diſtributiones animantium ab Ariſtotele propoſitas tum in lib. I. de hiſtor. anim. cap. I. & ſequentibus, tum in lib. I. de partibus anim. cap. III. ex adjunctis mihi erutas videri, cum ex vitæ genere, ex diſſimilitudine actionum, ex varietate morum, & partium, vel ipſo judice ſumantur. Quod ſi locus hic & oratoribus & poetis admirabilem dicendi copiam prębet, ſive amplificandum ſit aliquid vel augendi, vel diminuendi cauſa; ſive narrandum vel in cauſis civilibus, vel extra cauſas; ſive laudandum, aut vituperandum; ſive deſcribendum oratione, & verbis non ſecus atque coloribus exprimendum; & ipſi etiam phyſici, qui rerum naturas paulo ſubtilius inveſtigant, has ex adjunctarum rerum frequentia deſcriptiones plerumque adhibent, neque fere animantium genera partiuntur, & ſtirpium, niſi ex adjunctis. Etiamſi nullum firmum argumentum ſuppeditaret hic locus ad quęſtionem confirmandam, vel refellendam, non poſſem tamen eum non uberem & copioſum eſſe confiteri, cujus tam frequentem, tam multiplicem & tam varium uſum eſſe viderem. Quid me nunc

exiſtimare convenit, cum argumenta non pauca eaque firmiſſima ex hoc loco depromi ſentiam? Eſto: conjecturæ oratorum, quibus utuntur in controverſiis de facto ſingulæ per ſe ſunt parum graves, frequentia ſola ſublevantur. Certe proprietates rerum concluſionem habent neceſſariam, & in confirmando, & in reprehendendo: neque eſt apud philoſophos ullum argumentorum genus, magis uſitatum. at omnes proprietates, & quæ in re inſunt, & quæ circumſtant, ut mihi quidem videtur. Quam ob rem non poſſum non vehementer admirari, quid Perionio aliiſque nonnullis eruditis hominibus venerit in mentem, ut adjunctorum locum, aut inutilem ad inveniendum, aut removendum a numero locorum, aut ad conjecturales controverſias referendum eſſe arbitrarentur, cum & ad omnes prope uſus ſit copioſus, & illuſtris, & in diſputationes philoſophicas frequenter incurrat, & poetæ atque hiſtoriographi ſylvam infinitam rerum ac ſententiarum hinc potiſſimum comparent, & ipſi oratores eo in omnibus cauſarum generibus multum utantur. Nam M. Tullius non ad ſolas conjecturales cauſas, ſed ad eas magis hunc locum valere dixit:

quod ego de probationibus tantum accipio, cum ad alios uſus nihilo plus in conjectura valeat, quam in ceteris cauſis; neque eum a numero locorum, ſed a juris peritorum ſcientia removit, quoniam ad eos nihil attinent de facto quæſtiones, in quibus adjuncta plurimum valere dixerat. Quod autem addidit, ne philoſophorum quidem hunc locum eſſe, id ita intelligo: abhorrere a philoſophorum diſputationibus, illa ſigna oratoria, quæ ſola expoſuit in adjunctis. Philoſophos enim etiam hoc loco frequenter uti, ſatis, ut opinor, aperte demonſtravi. Habes de adjunctorum loco quid ſentiendum putem: nunc paucis accipe, quæ in ſuperiore diſputatione mihi videor, aut vidiſſe parum, aut non recte prætermiſiſſe.

Primum unde acceperim illam, qua ſum uſus, locorum diſtributionem, & quid in ea ipſe immutarim, non ignorare te arbitror. Utilitates has habere credo. Adjuvat memoriam, quia omnibus partibus apta, & connexa, a principio pervenit ad extremum: eos primos collocat, ſine quibus reliqui non poſſunt intelligi: quantum quodque genus argumentorum momenti habeat, oſtendit; cum, ut quiſque firmiſſi-

mus eſt, ita ſit in partitione primus. Poſtremo faciliorem viam aperit, & conſtantiorem ad argumenta in ſuos quæque locos referenda. Me autem ne ab iis quidem quos improbo pudet accipere, ſi quid aliquando dixerunt, quod probem. Deinde quod ſcripſi quodam loco de ſubjectis, ea comprehendi poſſe adjunctis, non placet. Admonitus enim a Petro Nũneſio cive meo, cujus libellum habeo de dialectica, reperi ſubjecta diſertiſſimis verbis ab Ariſtotele notari. Locos ille hos indicat in III. cap. lib. II. top. rurſus ſi propoſitum eſt accidens id, cui quid eſt contrarium, videndum eſt, idem-ne ſit contrarii, & accidentis ſubjectum. In I. cap. lib. III. ut, *quæ in meliore inſunt*, &c. Et infra, *& quæ in melioribus, aut antiquioribus*, &c. In cap. V. lib. IV. illud etiam videndum eſt, an in aliquo eodem utrumque ineſſe poſſit. Et errant etiam interdum ii, qui affectionem ejus faciunt ſpeciem, cujus eſt affectio. Et certe loci lib. IV. nullam habent dubitationem, ceteros diligentius conſiderandos, & ſubtilius inſpiciendos eſſe duco, quia licet in omnibus fiat ſubjecti mentio, tamen argumenti vis non in ſubjecto, ſed aut in contrariorum, aut in

generis & formæ, aut in repugnantium natura ſita eſſe videtur. Argumentum enim ſumitur a ſubjecto, quando ſumitur ex ejus rei natura, quæ ſubjicitur adjunctis his capitibus: cui convenit, aut non convenit ſubjecta res, eidem conveniunt, aut non conveniunt adjuncta: &, quod eſt in loco lib. III. notandum: id eſt magis appetendum, cujus eſt ſubjectum præſtantius: & aliis ejuſdem modi. Quando vero non ex eo, quod eſt ſubjectum adjunctis, ſed ex ipſa ſubjecti notione, quæ in ſola cogitatione poſita eſt, argumentum ſumitur, non ad rerum ſubjectarum locum, ſed vel ad contraria, vel ad genus, & ſpeciem, vel ad repugnantia, vel ad alium aliquem locum referendum eſt. Ad contraria ut illud lib. II: cujus contrarium in eodem ſubjecto non poteſt eſſe, id accidens non eſt. Hæc enim eſt contrariorum natura, ut idem utrique ſubjici ſit neceſſe. Ad genus & formam, ut illud lib. IV: quod in eodem ſubjecto non eſt, id genus eſſe non poteſt: nam hæc eſt natura formæ, ut in quo illa ſit, in eodem ſit etiam genus. Ad repugnantia, ut illud ejuſdem lib: quod eſt ſubjectum alicujus rei, id ejus genus non poteſt eſſe. Repugnantia namque, qua-

lia ſunt ſubjectum & genus, nequeunt aliquando cohærere. Pari ratione argumentum hoc eſt ex genere, ſi virtus nulla eſt, ne juſtitia quidem poteſt eſſe; quia ſumitur ex ea re, quæ eſt genus illud: non item, ſi virtus eſt genus, ultima ſpecies non eſt, ſed ex repugnantibus, quia non ex ejus rei natura, quæ genus eſt, verum ex ipſa generis notione depromitur. Idem ad ceteros inveniendi locos transferendum eſt. Hæc mihi, poſteaquam illa ſcripſi, occurrerunt: quæ ſi tibi placere cognovero; tuum judicium opinionem meam non mediocriter confirmabit.

Q. Marius Corradus Petro Ioan. Perpiniano.
V I.

ANnibali tamen Paulino habendam puto gratiam: non enim eſt oblitus omnino poſt longum tempus reddere tibi meas literas. Neapoli detentas vix unum aut alterum diem credidi: ignoſco tamen occupationibus, nec ſum illius officio ingratus. Nam tua mihi epiſtola mature ut redderetur, curavit: denique poſthac illum nobis confido non defuturum. Ve-

rum, quæ proxime ſcripſiſti, ea mihi non jucunda ſolum, ſed etiam ad quæ cogito, vehementer neceſſaria fuerunt. Etenim impediebar hominum auctoritate doctiſſimorum, ne ipſe mihi ſatis crederem. Facio equidem, ſemperque illos feci plurimi, quod, ut ne dicam cetera, res maxime involutas & artes obſcuriſſimas primi apud nos, pertenui aut nullo potius majorum exemplo luculentiſſime pertractarunt. Quumque patrum noſtrorum memoria etiam fuiſſent, quibus minime aſſentiri poſſem; hunc certe, qui poſtremus fuit omnium, & orationis cultu ac doctrinis maxime inſtructus, ab eo, quem doctiſſimi omnes, & ipſe unum ſibi propoſuit, cujus maxima, minima omnia imitaretur; diſcrepare in ea re noluiſſem. Utri magis credendum eſſet, non equidem dubitabam: ſed eodem modo plurimos, neque omnino ſtultos homines errare, mirum valde mihi videbatur. Nunc vero, quum ſatis eſſe mihi potuiſſet vel odorari, tu quid ſentires, cui diligentiſſime quæſita omnia, & rectiſſime cognita ſciebam; rationes etiam ſcripſiſti & argumenta, quibus antiquiſſimam doctorum hominum ſententiam tueri poſſem. Quare tibi ago gra-

tias, quod inertiæ quoque meæ conſuluerris, & laborem detraxeris mihi vel quærendi, vel iis de rebus amplius cogitandi. Denique ſic ſtatuas velim, binis ex tuis literis amantiſſime ſcriptis fructum cepiſſe me illum, quem ego maxime cupiebam, ut, ſiquid recte unquam feci, hoc nomine certe mihi placeam, quod plurimi faciens doctrinam & ingenium tuum, ineundam eſſe mihi tecum amicitiam quam primum putavi. Quum vero ſummam quoque humanitatem ſumma cum virtute conjunctam in te eſſe perſpexerim, qui proxima etiam epiſtola tua ultro me docueris, quæ tibi præterea in mentem venirent: ſpe non dubia ſum, te, ſiquid etiam poſthac acciderit ejuſmodi, libenter mihi eſſe reſponſurum. Quod autem de familiaritate, quæ tibi cum Paulo Manutio nuper eſſe cœpit, agis mihi gratias: hoc vero maximum putavi ſignum, minimeque obſcurum bonitatis cujuſdam eximiæ, ac ſuavitatis tuæ. Non enim hoc mihi, ſed moribus ac ſtudiis debetur tuis, & ſapientiſſimi doctiſſimique viri judicio, qui te benevolentia ac familiaritate ſua dignum eſſe cognovit. Equidem utrique veſtrum gratulor: &, quando te adjutum ad illius

amicitiam a me credis, hoc vos ignorare nolim; repelli a me ſolere multos, quorum non modo agreſte ingenium & literas, ſed ne ora quidem homini elegantiſſimo velim eſſe cognita. Tui vero loci homines mea ejuſmodi opera ſi forte indigerent, in illum peccare me crederem, niſi, quod in me eſſet, adjuvarem. Rogo te, ſalutes illum meo nomine: & excuſes, quod non ſcripſerim, qui valde mirer etiam, hoc anno, multis literis meis Aldum nihil hactenus reſpondiſſe. Curavi enim, quæ vehementer ſe cupere aiebat; nec ſcio, illa an acceperit. Dedi præterea amicis negotium, qui Beneventi, Capuæ, Neapoli, & in Campania, quicquid eſſet ejuſmodi, ad me mitterent: reſpondent ſe diligentiam quantam poſſunt, maximam adhibere: foreque, ut nobis cumulate ſatisfiat. Facies hæc, ut ſciat: & quam primum ad me ſcribat, niſi quid me volet ſuſpicari: ſiquid literarum ab illo accepiſſem, non vererer, inanis opera ne mihi ſuſcepta ſit. Monui enim, ex urbibus Campaniæ ſiquos movere ad hoc amicos poſſet: hic enim funditus extremumque ad pulverem ἐι πρότεροι πόλιας ϗ τείχη ἐπέρ-

θουν. Valde utriuſque noſtrum intereſt me non ignorare, quid egerit. Tu videbis, obſecro te, num iſtic, aut uſquam intra ſuperiores duodecim annos in lucem venerint aliunde centum triginta ſex Quintiliani ſenioris declamationes, & me docebis, expectabam hac de re Aldi literas, quid pater illi reſpondiſſet. Aliud, quod ad te ſcriberem, non erat: ſignificatione enim, quæ mihi poteſt eſſe maxima, perſpexi in me amorem tuum. Quamobrem, etſi non dubitas tu quidem grato homini operam a te eſſe datam; cupio tamen offerri mihi, unde expreſſius meam quoque ſummam in te benevolentiam cognoſcas. Vale. Uriæ. VI. Non. Oct.

Aldus Manutius Q. Mario Corrado.
VII.

EX iis literis, quas ad Petrum Perpinianum optimum, doctiſſimumque virum proxime dediſti, ſuſpectum me tibi eſſe negligentiæ nomine, facile cognovi: in quo licet nullius mihi culpæ ſim conſcius, animo tamen, & ſenſibus angor

Digitized by Google

intimis, angarque tam diu, donec hanc mihi moleſtiam abſtergant literæ tuæ. Quod ita fiet, ſi te hoc, quidquid ſuſpicionis, vel de natura mea, vel de voluntate ſuſcepiſti, depoſuiſſe intelligam. Quid? egone qui tui ſimiles; quamquam tibi paucos omnino doctrina, pauciores etiam eloquentia comparat pater meus; ego igitur, cum hominum excellentium amicitias ſemper appetierim, iiſque a me deberi omnia ſtudia judicaverim, ita deſciſcerem ab inſtituto meo, ita parentis mei tui ſtudioſiſſimi judicium contemnerem, ut reſpondere gravarer Marii Corradi literis, refertis officio ſemper, & latini ſermonis elegantia, nunc etiam cum beneficio meo conjunctis, ſiquidem Perpiniano ſcribis, miſiſſe te mihi, quæ optabam? Ego vero cum & literas tuas, quia diſertiſſimæ ſunt, &, ut ille ait, rhetorum more loquuntur, ſemper optem, & antiquas inſcriptiones ſic, ut nihil magis: literas per quam raro, nec unquam, quin reſponderim; inſcriptiones autem accepi prorſus nullas. Tu vide cui commiſeris: de me, noli obſecro, ſecus quam mea in te poſtulet obſervantia, atque humanitas tua

patiatur, ſuſpicari. Hæc de officio meo; cui deeſſe non ſoleo. De ſtudiis autem nihil erat literis dignum: inchoata tamen multa, nihil abſoluti. Pater nova quædam elucubratur, vetera corrigit & auget; valetudine utitur non incommoda: de te perhonorifice, & loquitur & ſentit, mihique mandavit, ut tibi fratrique tuo multam ejus nomine ſalutem adſcriberem. Vale. Romæ III. non. Jan. M. D. LXIV.

Petrus Ioan. Perpinianus Q. Mario Corrado.
VIII.

ET, vero magnam Annibali Paulino gratiam habendam puto. Sed neſcio quem profecto caſum nobis inimicum ſuſpicer, & infeſtum eſſe. Vide quæſo, potueritne aliquid evenire vel feſtinationi tuæ, vel expectationi meæ magis adverſum, quam quod evenit ſuperioribus literis ad te datis. Cognoſcendi cupidus, an tibi redditæ fuiſſent, ad hominem venio: domeſtici in urbe non eſſe reſpondent. Redeo iterum ac tertio. Negant revertiſſe; nam in Galliam Ciſalpinam, ut poſt ex ipſo didici,

dici, eſt profectus. Equidem timere jam incipiebam, ne & operam & oleum, ut aiunt. Interea perfertur epiſtola tua Romam, quæ, perinde quaſi facinoris alicujus convicta fuiſſet, quam diu ille abfuit, tam diu miſera jacuit in tenebris abdita atque retruſa, cum eſſet ejuſmodi, ut non hujus urbis, aut Italiæ modo, verum etiam orbis terræ luce digna videretur. Decembri tandem fere extremo; per id enim tempus ille reverterat; multum optanti ac propemodum deſperanti mihi, prorſus eodem, ac ſuperior, eventu data eſt. Quo quidem tempore re ipſa didici, nos inſperatis vel bonis, vel malis in utramque partem vehementius commoveri. Non me continere potui, quin eam multis de noſtris, quibus tui ſermonis elegantiam perjucundam fore cognoveram, ultro legendam offerrem. Nam etſi de me ex morum tuorum comitate magis, quam ex veritate ſcribebas ea, quæ ipſe legens, vereor interdum, ne quis alius in hac Urbe Petrus Perpinianus tua laudatione dignus, repente nobis neſcientibus exortus eſſet, eique tu forte ſcriberes illa, non mihi; tamen pudorem multo perdere malebam, quam celare quemquam ſingula-

rem humanitatem tuam, cum incorrupta Latini ſermonis integritate conjunctam. Adulari me tibi crederes, ſi dicerem, quantum delectarit omnes, qui legerunt. Verum quod mihi gratias agas, nihil eſt: Quantum enim in me ſitum erat, tantum tibi debebam, vel propter ſuaviſſimos tuos mores oratione, quæ imago quædam animi eſt, mirabiliter expreſſos: vel propter excellentem reconditarum artium doctrinam, cum modeſtia, quæ veræ doctrinæ comes eſt, tum acumine, & prudentia quærendi declaratam: vel propter eximiam orationis elegantiam, atque munditiam, non mihi ſolum homini impolito, atque rudi, ſed etiam eloquentiſſimis, & prudentiſſimis viris maxime probatam: vel propter illam animi moderationem tam alienam ab arrogantia, quæ te impulit, ut iſta varietate doctrinæ ſententiam exquireres hominis propemodum indocti: vel certe propter officii neceſſitatem, ne parum ſancte fidem colere viderer, ſi munus antea receptum, poſtea defugerem. Reliquum erat unum, in quo gratiæ loci nihil eſſe potuiſſet, ſi tibi ne exigenti quidem, mature debitum officium perſolviſſem, ut prudentes creditores facere ſolent, qui debi-

toribus ſuis facile ſponteque ſolventibus, quamquam non ſuam pecuniam reddunt, illam tamen habent vel maximam gratiam, quod ſe appellandi, & exigendi labore moleſtiaque liberarunt. Sed tu cum alterum jam annum expectes, crebraſque ad me literas eadem de re miſeris, hanc quoque gratiam penitus mea negligentia ſublatam eſſe duco. Vix credes, quanto ſim factus tardior, quam eram, & quodammodo pigrior ad ſcribendum, neſcio an ætatis ingraveſcentis flexu, an faſtidio quodam humanarum rerum. Ab his certe ſic abhorreo, ut, niſi me alio vocarent meæ non temere ſuſceptæ, ſed diuturno conſilio inſtitutæ vitæ rationes, ne quam earum partem attingere neceſſe eſſet, in aliqua ſolitudine libenter omnem reliquam ætatem deliteſcerem. Si quid tamen occurret aliquando, in quo meam operam requiras, faciam profecto, ut intelligas neminem apud me vel auctoritate plus, vel voluntate valuiſſe. Nunc eodem animo, quo ceteras accepiſti, extremam accipe diſputationem ad ea, quæ de quæſtionibus a te poſitis, mihi ſola reſtabant. Ea nihilo brevior eſt, quam illa ſuperior fuit de adjunctis, cujus tu nimiam

longitudinem ſane prudenter, & amice reprehendis, dum ineptiam tibi attribuis, quæ in te nulla eſt; ut ego me ineptum fuiſſe intelligam, qui homini & eruditiſſimo, & diligentiſſimo plura ſcripſerim, quam decebat. Malui videlicet in hac officii tibi tam diu debiti ſolutione nimis multam meam operam videri, quam deſiderari diligentiam. Tu, ſi qua in re mihi gratificari ſtudes, de quo tuam ſententiam expecto, de eo quid exiſtimes, facito me quamprimum per literas certiorem. Aldo Manutio, quem ego jam in eam rationem ingreſſum; non enim vereor ne de tali adoleſcente nimium tibi videar polliceri; brevi ſpero fore ſimilem patris, miſi ſtatim epiſtolam tuam, ut, quæ volebas eum ex me ſcire, illa melius ex tuis verbis ipſe cognoſceret. Incredibile eſt quam vehementer doleat, officio tibi ſe videri defuiſſe. Tametſi, cum nullam in ſe culpam hærere ſentiat, quod ne literam quidem a te unam acceperit; illud magis dolendum vere exiſtimat, epiſtolas tuas interiiſſe: qui dolor non Aldum modo, verum etiam me, & ipſius patrem, virum noſtræ, ſuperiorique memoriæ facile principem, attingit. Magnam enim jacturam omnes ar-

bitramur Latinas literas feciſſe; quod ſperamus eas antiquæ illius elegantiæ & urbanitatis fuiſſe refertas. Ipſe quidem poſtridie quam tuam legerat, epiſtolam mihi dedit, ut omnia uno verbo complectar, plane Manutianam, orans, ut eam ad te quamprimum mittendam curarem: quam ideo dedi ſerius, quam oportebat, ne ſine meis illa, vel potius ne ſine illa meæ. Timebam enim, ne ſi priorem illam acceſiſſes, ita capereris dulcedine ſermonis, ut reſpueres poſtea mearum acerbitatem: ſi vero pariter meæ perferrentur, fore confidebam, ut earum aſperitas illius jucundiſſima ſuavitate leniretur. Eam ubi legeris, non dubito quin omni ſuſpicione depoſita, prçſtantis adoleſcentis erga te mirificum animum comprobatura ſit humanitas tua. Obſecro te tamen pro illa benevolentia, quam adverſum me, nullis meis meritis, tua ſponte ſuſcepiſti, ut ei quæ miſeras, nec accepit, ſi quo modo fieri poteſt, remittenda cures, neque illarum literarum ſuaviſſimo fructu nos prives. De Quintiliani ſenioris declamationibus illud modo reſpondit: eas multos abhinc annos editas, Venetiis aliquando ſe vidiſſe; an denuo intra duodecim annos proximos

Digitized by Google

exierint aliunde, neſcire. Nec ego quidem adhuc quidquam audivi. Marcello fratri tuo, quem & virum optimum eſſe intelligo, & mei amantiorem, non quam ipſe velim, ſed quam ipſi forte expediat, dic multam ſalutem meis verbis; eumque admone, ut videat quid agat, quo progrediatur, quid oneris ſuſcipiat, quantum adeat periculum. Nam etſi vel caſu aliquo, vel multo etiam magis humanitate, & benevolentia in me tua, viſa ſunt adhuc vera, quæ dixit: metuo tamen, & magnopere quidem metuo, ſi de homine; doctone, an indocto, non dico, certe homine; nimis magna & præclara prædicare perrexerit, ne qua in re deprehenſus, omnium in poſterum fidem amittat. Parumne ei videbatur meas pueriles nugas cum Hermogenis, & Quintiliani graviſſimis præceptis exæquare, niſi etiam anteferret? Dictavi aliquando περὶ στάσεων meis auditoribus quædam, non inficior; nec poſſum inficiari, ſi velim. Sed ea non tam commentatione, & cogitatione tacita perfecta ſunt, quam ſcholæ noſtræ vocibus, & clamore jactata: quæ ſi cogitatione tua digna judicarem, aut facile putarem poſſe deſcribi, me ſane tibi fratrique tuo hanc

operam negare valde puderet; atque adeo timerem, ſi negarem, ne quid de amore noſtro diminueretur. Nunc autem, niſi tibi videtur ſecus, in re tam tenui tantum laboris non cenſeo collocandum eſſe. Verum ſi quid aliud ſuſpicabere, longe melius ducam meas a vobis ineptias rideri, quam ullam fieri diminutionem de benevolentia erga me tua. Jam hæc ſcripſeram, cum Aldus exempla tuarum, tum ad ipſum tum ad patrem literarum, ad me detulit, quæ ex epiſtola ſcripta menſe proximo ideo a te miſſa eſſe conſtabat, quod nihil ad eos perlatum eſſe comperiſſes. Perlegi cupidiſſime, & magna cum voluptate. Itaque nunc ſola epigrammata deſiderantur. Patris etiam epiſtolam mihi recitavit, qua reſpondit tuæ. Illa ſi tibi prius, quam noſtræ, reddetur; ſcito tamen multo eſſe literis Aldi recentiorem. Sed quid ſcribo? quaſi vero non hoc tu per te, ſine admonitione mea, potueris videre. De Quintil. prænomine legi neſcio quid, tua, credo, adſcriptum manu. A me ſi quid in eo peccatum eſt, in quo peccarat tuus puer, ejus tu peccati culpam omnem ſuſtineas oportet, cujus primæ literæ, & item alteræ me impruden-

tem in errorem induxerunt. Vale. Romæ x. Cal. Febr. M. D. LXIV.

Ad ſextam & octavam quæſtionem.

DE octo quæſtionibus ad me miſſis duæ reſtant, ſexta de antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus, & octava de ratione argumenta oratorum in ſuos quæque locos referendi; de quibus quid ſentiam, tibi diligenter exponere conabor. Antecedentia & conſequentia non uno modo mihi dici videntur. Sunt enim quæ tempore vel antecedant, vel conſequantur, ut juventus antecedens eſt ſenectutis, vita mortis, poſſeſſio amiſſionis, debitio ſolutionis, inſidiæ cędis, cædes hæſitationis & palloris, colloquium flagitii, flagitium ruboris. Sunt alia, quæ temporis omni diſcrimine ſublato, in concludendo tamen alia aliis antecedunt, vel conſequuntur; ut, ex quibus alia neceſſario efficiuntur, ea antecedentia dicantur, quæ vero concluduntur ex illis, conſequentia. Priori genere adjuncta continentur, quæque ante rem ſunt, quæque poſtea ſequuntur. Nam diviſionem a Cicerone traditam, quæ adjuncta in tria tempora partitur, non mo-

do veram arbitror, ſed etiam propriam illius loci, quamvis & ſimilitudines, & comparationes, & alia argumenta fortaſſe ex inſtantibus, præteritis futuriſque ducantur. Quis enim non intelligit conjuncta ſola ex omnibus generibus argumentorum eſſe ejuſmodi, ut partim antecedant, partim in re ſint, partim conſequantur, cum tamen ſpectent ad rem ipſam? Rodulphus autem, & omnes alii, qui diſtributionem illam hoc nomine reprehenderunt, quod vel omnibus, vel pleriſque locis communem eſſe dicerent, nihil aliud egerunt, niſi declararunt adjunctorum vim, & naturam ſibi non ſatis eſſe perſpectam, nec videre quantum inter hæc interſit ex eo, quod multo ante geſtum ſit, neque tum, cum gereretur, ad quod modo probandum eſt, pertineret, ſimilitudinem capere, & confirmare cædem ex armorum, ceterarumque rerum pertinentium ad cædem faciendam apparatu. Ad conjuncta igitur magis attinet illa prior antecedentium, & conſequentium ſignificatio. Poſterior eſt hujus loci propria, & diſputationis a nobis inſtitutæ. Quamquam interdum conſequentia ſic accipiuntur, ut adjuncta omnia comprehendant. Etenim Ari-

ſtoteles de captione ex conſequenti verba faciens, omnia ſigna oratorum ex conſequentibus oriri confirmat: Nemini autem dubium eſt, quin & ex iis, quæ ante rem, & ex iis, quæ cum re ſunt, multa ſumantur. Sed hoc nemo unquam dixit apertius, quam duo principes Latinorum rhetorum, M. Tullius, & Quintilianus: nam ille conjecturæ locos explicans in partitionum oratoriarum libro, cum accuſatori duo prima eſſe dixiſſet cauſas, & eventus, eventus autem eſſe conſequentia quędam ſigna præteriti, & quaſi impreſſa facti veſtigia, poſteaquam multa ejuſmodi ſigna collegit: *Hæc enim*, inquit, *& talia ſunt, quia aut in re ipſa, aut etiam antequam factum eſt, aut poſtea ſuſpicioſum crimen efficiant.* Hic vero cum appellaſſet conſequentia pro adjunctis in lib. v. cap. x. *ſed hæc*, inquit, *conſequentia, dico* ἀκόλουθα: *eſt enim conſequens ſapientiæ bonitas, illa ſequentia* ἐπαγόμενα *quæ poſtea facta ſunt, aut futura. Nec ſum de nominibus anxius. Vocet enim, ut voluerit quiſque, dum vis rerum ipſa manifeſta ſit; appareatque, hoc temporis, illud eſſe naturæ. Itaque non dubito hæc quoque conſequentia, quamvis ex prioribus dent argumen-*

tum ad ea quæ ſequuntur. Quo minus mirandum eſt, quod Perionus jam ante vidit, & prudenter admonuit, Ciceronem in 2. de orat. lib. conſequentia dixiſſe pro adjunctis.

Verum hæc tametſi non inutilia forte ſunt, aliena tamen ab eo, quod quæris. Venio ad rem ipſam. Recte mihi videtur Rodolphus M. Tullii Ciceronis de antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus explicare ſententiam, in connexis videlicet & conjunctionum negationibus, omnem eorum vim eſſe poſitam : argumentumque dici ex antecedenti, ſi ex eo primum quod in connexo eſt,efficiatur id quod conſequitur ; contra ex conſequenti : ex repugnantibus autem, ſi addita vel adempta negatione conſequenti, conjunctio conficiatur ex duabus partibus ita diſſidentibus, ut cohærere nunquam poſſint, eique negatio pręponatur, ut non & numerata pecunia eſt argentum, & non eſt legata Fabiæ numerata pecunia : non & oriente Canicula natus eſt Fabius, & in mari Fabius morietur. Nihil enim aliud voluiſſe Ciceronem ipſemet oſtendit, cum in lib. de fato, quo loco peracute contra Chryſippi ſententiam colligere conatur,

omne quod falſum datur in futuro, id fieri non poſſe; tum in topicis, ubi locum hunc proprium dialecticorum affirmat eſſe. Quod nunquam ille feciſſet, opinor, niſi hanc ex connexis, & conjunctionum negationibus argumenta concludendi rationem ſignificari putaviſſet, quæ ab oratoria conſuetudine dicendi, & oratione populari, longe videtur eſſe remota. At nomina profecto, Græca præſertim, declarant hoc ipſum exiſtimaſſe veteres illos hujus artis auctores. Nam apud Ariſtotelem, tum in top. tum in lib. de ſophiſtarum reprehenſionibus, & apud Alexandrum diligentiſſimum ejus interpretem, antecedentia vocantur, quæ M. Tullius in 2. de oratore lib. interpretatur præcurrentia; conſequentia vero τὰ ἀκολουθοῦντα, τὰ ἑπόμενα, quæ in eodem loco ille Latine explicans conſentanea appellat. Atqui nec quæ annexa ſunt, ἡγούμενα, vel prȩcurrentia, nec quibus annexa ſunt ἀκόλουθα, ἑπόμενα, conſentanea recte dicerentur. Hujus ergo rei firmiſſimum argumentum illud afferre poſſum, quod cum in comparationibus, & proportionibus numerorum, illum mathematici τὸν ἡγούμενον appellent, qui prior aſſumitur ad comparationem; quicum au-

tem ille confertur, eum τὸν ἑπόμενον : ſi quando comparatio commutetur, ut ex 5. Euclidis libro cognoſcitur, fieri dicunt ex pręcurrente conſequentem, ex conſequente pręcurrentem : ut ſi novem cum ſex comparentur, novem præcurrentia ſint, ſex conſequentia ; ſi vero contra, ſex cum novem conferantur, ſex antecedentia ſint, conſequentia novem. Idem ego prorſus in his dialecticorum antecedentibus & conſequentibus evenire credo. Etſi namque neque Ariſtoteles, neque Alexander ipſa connexa exprimit, ea tamen intelligi oportere, ut mihi quidem videtur, perſpicuum eſt ex utriuſque verbis. Duo certe antecedentium exempla, quæ ab Alexandro proferuntur, unum ex Phædone, ubi Socrates demonſtrare nititur, eſſe apud inferos animos mortuorum, alterum ex Menone, quo loco probat doceri poſſe virtutem, non aliter quam connexis ab ipſo Platone tractantur. Ejus verba in Phædone ſunt, καὶ εἰ τοῦθ' οὕτως ἔχει πάλιν γίγνεσθαι ἐκ τῶν ἀποθανόντων τοὺς ζῶντας, ἄλλο τι ἢ εἶεν ἂν ἡμῶν αἱ ψυχαὶ ἐκεῖ; Quibus ita poſitis, eo Socrates confert diſputationem ſuam, ut illud antecedens confirmet, fieri viventes ex mortuis, ut quod eſt conſequens, mortuorum animos

eſſe apud inferos eadem opera comprobetur. In Menone vero Socrates, cum nihil aliud niſi ſcientiam doceri dixiſſet, illa ſubjicit: εἰ δέ γ' ἐστὶν ἐπιστήμη τις ἡ ἀρετὴ, δῆλον ὅτι διδακτὸν ἂν εἴη. Nec multo poſt, dum antecedens illud probat, ſcientiam quandam eſſe virtutem, aliud argumentum ex antecedentibus ponit his verbis: οὐκοῦν, εἰ μέν τι ἐστὶν ἀγαθὸν καὶ ἄλλο, χωριζόμενον ἐπιστήμης, τάχ' ἂν εἴη ἡ ἀρετὴ οὐκ ἐπιστήμη τις. εἰ δὲ μηδέν ἐστιν ἀγαθὸν, ὃ οὐκ ἐπιστήμη περιέχει, ἐπιστήμην ἄν τιν' ὑποπτεύοντες αὐτὸ εἶναι, ὀρθῶς ὑποπτεύοιμεν.

Deinde multis oſtendit, primum quod eſt in connexo, ut id, quod eſt conſequens, confirmetur. Quæ cum ita ſint, non poſſum equidem non probare Rodolphi ſententiam, qui antecedentia, & conſequentia, non ad inventionem exiſtimat, ſed ad argumentorum tractationem pertinere: atque eo magis, quod M. Tullius idem affirmare mihi videtur in topicis, his verbis; *cum tripartito igitur diſtribuatur locus hic, in conſequutionem, anteceſſionem, repugnantiam, reperiendi argumenti locus ſimplex eſt, tractandi triplex.* Tametſi non potuit ille clarius, quid hac de re ſentiret, oſtendere, quam oſtendit in eodem libro, cum antecedentia, conſequentia, repu-

gnantia numeravit in ſeptem earum concluſionum modis, quas Gręci ὑποθετικὰς nominaverunt. Falſus igitur fuit Perionius, qui argumentationem hanc dixit eſſe ex antecedentibus : ſi omnis voluptas eſt bonum, venerea bonum eſt : venerea autem bonum non eſt ; non omnis igitur voluptas eſt bonum. Illam ex conſequentibus. Si virtute nemo abuti poteſt, juſtitia nemo abutitur : virtute autem nemo abuti poteſt ; juſtitia igitur nemo abutitur. Primum enim hæc Alexandro & ipſi Ariſtoteli vehementer adverſantur, qui locum ex antecedentibus ad confirmandum, locum autem ex conſequentibus ad reprehendendum, ſolummodo valere tradiderunt : & Alexandro quidem eo, quam Ariſtoteli, vehementius, quod is hoc ipſum de voluptate exemplum in argumentis ex conſequentibus ponit. Exempli cauſa, inquit, ſi omnis voluptas bonum eſt, illud eſt conſentaneum, etiam cinædorum voluptates eſſe in bonis : quod ubi non ita ſe habere ſumpſerimus, illud profecto refutaverimus, omnem voluptatem eſſe bonum. Deinde cum ejuſdem Perionii verbis cohærere nullo pacto poſſunt, quid enim ? illam argumentationem, ſi virtute

nemo abuti poteſt, arbitraris a conſequentibus ortam? at tu ipſe in eadem pagina, quo magis miremur, doces genera licet formarum ſint conſequentia, ſi tamen univerſe dicantur, ut hic virtus dicitur, fieri antecedentia. Hæc autem magnopere inter ſe pugnant. Itaque hoc ille proſpiciens cum in lib. 1. topicorum, theologicum exemplum plane ſimile in conſequentibus repoſuiſſet, merito ſe ipſe reprehendit his verbis: quamquam non a conſequentibus ſed ab antecedentibus potius duci videtur. Dicamus ergo argumenta a conſequentibus ſolum eſſe firma refellendo, in iis duntaxat quæ latius patent, quam antecedentia. Hæc ille, ex quibus apparet, parum prudenter ab eo, & nimium verboſe hujus loci capita, tum in dialectica, tum in topicis theologicis expoſita fuiſſe; cum vis antecedentium uno tantum capite breviſſime ab Alexandro comprehendatur; ſi antecedens eſt, eſt etiam conſequens: vis autem conſequentium, item uno; ſi conſequens non eſt, neque antecedens.

Quod hoc nobis etiam inveſtigandum putas, nullam aliam opinor fuiſſe cauſam errandi Perionio, niſi hanc, quod antecedentia

Digitized by Google

dentia & conſequentia ab argumentorum tractatione transfert ad naturam rerum, ut oſtenderet ea cum inveniendi ratione penitus eſſe conjuncta; idem ſemper eidem conſequens eſſe voluit, vel antecedens, ſive id ſit in connexo primum ſive conſequatur. Quid ergo? antecedentia, conſequentia & repugnantia prorſus ab inveniendi pręceptis removeri cenſes oportere? Ariſtotelem autem & Ciceronem, quod eadem ſine cauſa cum inventione conjunxerint, imprudenter ac temere feciſſe? Equidem ſummos illos viros, quorum alter philoſophiæ tenuit, alter eloquentiæ principatum, cupio vehementer omnibus eſſe non modo purgatos, verum etiam probatos; neque tam exiſtimari venia, quam prædicatione dignos: de quibus & quid legerim apud alios, & quid mihi occurrerit, diu multumque cogitanti, eo gravate minus ad te ſcribam, quo diutius jam hoc meum officium requiris. Petrus Joannes Nunneſius, civis meus, in libello quodam quem de dialectica edidit, de ſyllogiſmis hypotheticis præcepta daturus, ita ſcripſit: Quia ſyllogiſmi hypothetici magis pertinent ad materiam argumentandi, quam ad formam, Ariſtoteles in 2. to-

E

pic. non ſine ratione explicavit primum, & ſecundum modum connexum, & Cicero in topicis ſeptem modos hypotheticos tradidit. Quod autem ad materiam potius pertineant, quam ad formam argumentandi, hinc intelliges; ſi homo eſt, animal eſt; valet argumentum, quia eſt ex ſpecie ad genus: at ſi ita argumenteris; ſi homo eſt, equus eſt; non valet argumentum, quia ſunt diſſentanea: ergo omnis vis argumentandi in hypotheticis ex locis argumentorum ponderanda eſt. Quam ob rem Rudolphus, Latomus & Ramus ſine ratione Ariſtotelem & Ciceronem tam acerbe reprehendunt, cum honeſtam illi habeant ſui erroris excuſationem. Quanquam ſyllogiſmi hypothetici non ſunt loci argumentorum, tum quia ſunt formæ argumentandi, tum quia ſunt communes omnium argumentorum. Hæc ille vir ſane multiplici reconditaque doctrina ſcripſit: quæ etiam ſi probabilia eſſe arbitror, nollem tamen errorem nominaſſet, quod viri præſtantes, vel ipſo judice non ſine aliqua ratione fecerunt: nollem eos honeſtam excuſationem, ſed veram & juſtam ſui facti defenſionem habere dixiſſet. Ego enim quanquam intelligo antecedentia, conſe-

Digitized by Google

quentia, & repugnantia, quemadmodum explicantur a Cicerone, ex aliis depromi locis, & aliunde vim accipere probandi; neque exempla eorum ulla, vel apud Demoſthenem, vel apud Ciceronem, vel apud alium auctorem reperiri poſſe, quæ non ſint conjuncta cum judicandi via: tamen ea non mediocrem argumenti reperiendi facultatem afferre ſentio. Multo namque facilius, quid cuique rei ſit conſentaneum, aut repugnans, quam cujus illud ſit loci, videmus, definitioniſne, an generis, an formæ, an cauſarum, an eorum, quæ ſunt orta de cauſis. Quis hoc non videt, ſi nix ſit, conſequens eſſe, ut ſit candida, nigram autem illam eſſe repugnare? At hæc in adjunctis eſſe non omnes ſciunt. Quis neſcit, ſi quis hominem ex inſidiis adortus interfecerit, conſentaneum eſſe hunc illi fuiſſe inimicum? At quonam inimicitiæ referendæ ſint, ad cauſas, an ad conjuncta, non omnibus perſpectum eſt. Neque mirum hoc videri debet aut novum. Illius enim rei natura ipſa indicium quoddam in animis noſtris collocavit: hoc totum arte tinctum videtur. Quam ob rem valde ſapienter fortaſſe, non temere certe, nec ſine vera

Digitized by Google

& probabili ratione, & Ariſtoteles, & Cicero præcepit, ut ad inveniendum argumentum quęramus, quid rem propoſitam vel pręcurrat, vel conſequatur; neque cogitemus genuſne ſit, an ſpecies, quo faciliorem quandam, & expeditiorem viam habeamus ad inveniendum. Nam quod hæc aliis argumentorum generibus re ipſa continentur, id nihil obeſt: juvat potius, multas habere vias, quæ ducant eodem, quo ſine errore facilius poſſis, quo intendis, pervenire. Itaque ſi quis ab inveniendi arte contendat antecedentia, & conſequentia eſſe ſegreganda, recte mihi facere videbitur: ſi quis autem retinere malit, non ſolum ſapientiſſimorum hominum nominibus & auctoritate, ſed etiam probabili & honeſta cauſa ſuum factum poterit tueri. Utrum ſit melius, non facile dixerim. Tuum hac de re judicium, quod apud me longe plurimum valere debet, expectabo. Inclinat quidem animus in eam partem, ut excellentium virorum conſilium non improbem, ſequar ipſe veritatem: verum, ut dixi, hac tota de re nihil, niſi de tua ſententia, ſtatuere decrevi. Repugnantia vero quin ab argumentationis certa forma, & ab aliis generibus argumen-

eorum ſejungi poſſint, neminem credo dubitaturum, modo iſtos ipſos legerit, qui penitus antecedentia & conſequentia rejiciunt. Quocirca hæc in præceptis, atque locis inveniendi, omnino ſtatuo debere retineri. Tametſi apud Ariſtotelem, ut verum fatear, locum ex repugnantibus diverſum a contrariorum loco, nec ullum reperio, nec eſſe credo: locum enim decimum-ſextum lib. 2. quem Perionius repugnantium eſſe credit, ego cum Alexandro potius contrariorum eſſe puto, eorum quidem quæ medio carent, qualia ſunt ex adverſis non pauca, & omnia aientia, & negantia in utramque partem; inter quæ vero medium aliquid eſt, ſolum ad refellendum. Neque me movet, quod locum illum Alexander vocat ἐκ μάχης. Pugnant inter ſe namque contraria, adverſa cum adverſis, aientia cum negantibus, ut quæ maxime: & idem interpres pugnam illam ad contraria referendam eſſe oſtendit. Ergo diligentiſſimus auctor penitus omiſit hunc locum? Non opinor: ſed quavis repugnantium, tota aientium & negantium natura continetur, ac tum demum perſpicitur, cum ad illa revocantur, locum repugnantium, contrariorum loco

comprehendi. Nam cur nivem candidam non eſſe repugnat? Quia ne nix quidem eſt, ſi candida non eſt: cur homo & camelus inter ſe pugnant, vigilare & ſomniare, dormire & docere? Nimirum quia neque camelus eſt homo; neque qui ſomniat, vigilat; neque dormit, qui docet. affirmatio igitur & negatio involutæ atque tectæ efficiunt repugnantiam omnem in rebus, quæ tum quaſi evolvitur, ac detegitur cum ad aientes & negantes enunciationes deducta eſt. Itaque ut omnia diligentiſſime quæras, nuſquam in libris Ariſtotelis, credo, invenies repugnantium ſeparatam a contrariorum tractatione mentionem, cum omnia genera τῶν ἀντικειμένων multis locis ille fuerit accuratiſſime perſecutus. Sed quoniam hæc ſuam quandam ſpeciem oſtentant, exiſtimo non incommode feciſſe, qui a contrariis ea ſegregarunt.

Ac de ſexta quæſtione ſcripſi plura, ut arbitror, quam volebas, & quam erat neceſſe. Nunc ſi pauca de octava dixero, nihil reliquum jam erit, quod a me requiras. Rationem equidem aliam ad ſuos locos argumenta referendi, quam quæ a Rudolpho tradita eſt, nullam habeo: ve-

rum opinor illam adjuvari multum analyſi, quæ diviſione locorum, non mea illa quidem, ſed a me prima diſputatione tibi ſignificata breviter, continetur. Nam ante omnia tota argumentatio in formam certam redigenda eſt, & ex complexione quęſtio propria illius eruenda. Tum inveſtigandæ partes quæſtionis, quæ non ſunt aliæ, quam complexionis: & argumentum, quod Ariſtoteles vocat τὸ μέσον cum his comparandum. Qua in comparatione, qui analyſim ſequetur, de qua dixi, eum illa vel nunquam vel raro admodum errare ſinet, ac veluti quibuſdam diviſionis gradibus ducet ad eum locum, ex quo depromptum erit argumentum, ſi bene cujuſque loci vim & naturam cognorit. Utar exemplis, non tam tua cauſa, qui hac ope non eges, quam mea, ne ſi quis hæc aliquando legerit, nec intellexerit, ei poſtremum actum, in quo me diligentiſſimum & ornatiſſimum oportuiſſet eſſe, tanquam iners Poeta videar abjeciſſe. In lib. v. accuſationis M. Tullius, quo loco ſupplicium navarchorum accuſat, quæſtionem illam proponit, an acceperit pecuniam Verres ob navarchorum ſepulturam; quam hac argumentatione confirmat: Qua-

ſus Segeſtanus dixit pro teſtimonio, ſe ob ſepulturam Heraclii navarchi pecuniam Timarchidi dinumeraſſe: accepit igitur pecuniam ob ſepulturam Verres. Argumentum eſt, dixit Onaſus, quod non ex una aliqua parte quæſtionis, ex re ſubjecta, vel attributa depromptum eſt, ſed ex enunciatione totius quæſtionis. Quocirca ex eo genere eſt, quod aſſumitur foris, & teſtimoniis humanis continetur. Idem de illa argumentatione ſentiendum eſt, qua in eodem libro confirmat cives Romanos juſſu Verris in Latomias fuiſſe conjectos, ac necatos, quod ita ſcriptum ſit in literis Syracuſanorum. In illo ipſo accuſationis libro, paulo poſt principium, ad conjecturæ quæſtionem explicandam, liberaritne Siciliam Verres bello ſervili, argumentatio hæc affertur: aut liberavit bello fugitivorum, quod factum ſit in ipſa inſula, aut eo, quod geſtum eſt in Italia, aut eo, quod in Sicilia potuit excitari, niſi providiſſet ipſe, ne excitaretur: nullo autem horum trium liberavit Siciliam Verres bello ſervili. Argumentum nudum eſt, aut bello ibidem geſto, aut geſto in Italia, aut eo, quod moveri potuiſſet: quod quia non ſumitur ex enun-

ciatione totius quęſtionis, ſed ex una parte, videlicet ex attributo; inſitum eſt, non remotum. Inſita vero vel ſimplicia ſunt, vel conjuncta. Hoc ſimplex non eſt, ut apparet: conjunctum igitur: non definitionis autem: non enim definitur ſervile bellum: ergo partium enumerationis: quæ cum diviſionem, & partitionem complectatur, hoc argumentum ſine dubio diviſionis eſt; propterea, quod tribus illis modis liberari potuit a Verre Sicilia bello ſervorum. Porro ſuperioris enumerationis partem unam, Siciliam Verris opera, bello fugitivorum in Italia geſto fuiſſe liberatam, ita refutat. Aut operam tuam præbuiſti ad victoriam de ſervis obtinendam, tum cum profligati ſunt, aut ſolum ad eos tota Sicilia prohibendos, cum conarentur accedere: quibus duabus partibus reprehenſis, concludit nullam extitiſſe Verris operam in eo bello ſervorum, quod in Italia fuiſſet. Hoc autem argumentum ad eundem locum, atque proximum pertinere, eadem ratione colligi facillime poteſt. Jam ſecundæ hujus enumerationis poſteriorem partem, ſervorum copias ab inſula Verris opera fuiſſe repulſas, hac argumentatione refutat. Nun-

quam fugitivi, qui in Italia pugnabant, ad Siciliam acceſſerunt: non ſunt igitur Verris diligentia repulſi. Argumentum eſt, nunquam eo acceſſerunt, quod erutum ex una parte quæſtionis, videlicet ex attributo, inſitum profecto eſt, & artificioſum, non conjunctum. Nam neque definitio eſt, neque partium enumeratio: ſimplex igitur. Et quoniam non in verbo poſitum eſt, in ipſa re conſiſtit. Ac comparationem nullam habet neque ſimilium aut diſſimilium, neque majorum, minorum, parium. Quare ex iis eſt, quæ abſolute ſine comparatione ſumuntur ex re ipſa. Ergo vel in conſentaneis reponendum eſt, vel in diſſentaneis: non in conſentaneis autem; non enim cohærent, accedere, & repelli: quare in diſſentaneis. Neque vero eſt repugnantium: non enim repugnat ab inſula repelli, qui conetur accedere: contrariorum ergo ſit, neceſſe eſt. Atqui accedere & repelli nec adverſa ſunt, nec aientia, & negantia, nec privantia. Quapropter ſupereſt, ut ſint ex iis, quæ cum aliquo conferuntur: quorum cum duo genera fiant ab Ariſtotele, unum eorum, quæ reciprocantur, alterum eorum, quæ retro non commeant; poſte-

rioris hæc generis putanda ſunt. Nam ut repulſus ne intelligi quidem ſine acceſſu poſſit, certum eſt tamen acceſſum non intelligi modo, verum etiam eſſe poſſe ſine repulſu. Neceſſe non eſt illuſtrari pluribus exemplis hanc methodum ἀναλυτικὴν, in ſuum quæque locum argumenta referendi, cum tibi, præſertim tali viro, rem ſine exemplis indicare ſit ſatis.

Illud ſolum videamus poſſitne hac eadem inveſtigari via, cujus ſit loci argumentum illud Ciceronis in divinatione, in quo te ſignificas hærere. Quæſtio præcipue, in qua ſtatus eſt cauſæ, comparationem habet ęquitatis, qualem in part. libro M. Tullius ſemper eſſe vult, cum de veriſſimo accuſatore diſputatur; utrum ſit æquius actorem præponi cauſæ Siculorum, Ciceronem, an Cecilium? Confirmatio vero tota, qua probat orator ſe potius eſſe conſtituendum accuſatorem, poteſt in hanc ratiocinationem breviter includi. Ille præponendus eſt actor cauſæ repetundarum, quem maxime volunt actorem eſſe ij, quibus factæ eſſe dicuntur injuriæ; & quem minime vult is, qui eas injurias arguitur feciſſe: me autem Siculi actorem cauſæ ſuæ eſſe volunt: mihi minime vult

dari delationem Verres; me igitur huic cauſæ actorem præponi convenit potius, quam Cecilium. Argumentum eſt, quem maxime volunt, qui res ſuas repetunt, & minime vult reus: quæ mihi duo plane ſigna oratoria videntur, indicantia uter ſit diligentius & fortius accuſaturus. Etſi namque primam contentionem, in qua, Ciceronis judicio, ſtatus eſt in cauſis de conſtituendo accuſatore, quæſtionem de ęquitate ſemper habere non nego; tamen extremam diſceptationem arbitror eſſe conjecturæ, ac temporis futuri. Etenim cum accuſator is potiſſimum ſit diligendus, qui videatur optime cauſam acturus, hoc unicuique eorum, qui certant, propoſitum eſſe debet, ut planum faciat ſe, & veriſſimum, & conſtantiſſimum, & diligentiſſimum in accuſando futurum. Atque hinc ſuſpicor factum eſſe, ut veterum oratorum de hoc certamine orationes, divinationes Latine nominarent, quod judicibus quodammodo divinandum eſſet, quis e multis, aut uter e duobus, optime accuſaturus eſſet; maxime cum ad hanc unam facile referri poſſint omnes tres nominis hujus cauſæ, quæ ab Aſconio commemorantur. Marcus vero Tullius hoc,

Digitized by Google

unde tota res pendet ; tum quod notiſſimum eſſet ; tum quod in fronte orationis, & prima propoſitione arrogantiæ ſummæ putaretur ; prudenter omiſit, aut potius rejecit in commodiorem locum. Duo tantum ſigna poſuit, quibus confirmatis, uter melius cauſam illam acturus eſſet, apparet. Quid enim eſt, cur & nolit Verres, & malint Siculi Ciceronem ? Nimirum agente Cicerone, & Siculi ſperant ſe facillime poſſe recuperare res ſuas, & Verres effugere judicii ſeveritatem ſe poſſe diffidit. Et tamen quod initio poſitum hominum animos offendiſſet, id poſtea in confirmatione ſecundi ſigni commodius inductum & explicatum cum artificioſa modeſtiæ ſignificatione, mirum eſt, quantam vim habeat ad vincendum. Verum ſigna, argumenta ſunt ex locis eruta, non argumentorum loci. Quapropter quærendum eſt adhuc, ex quo loco deprompta ſint hæc duo ſigna, quibus loco rationis eſt uſus ad ſtatum cauſæ confirmandum orator. Primum, non ex totius quæſtionis enunciatione ſumuntur, ſed ex re ſubjecta ; Cicerone videlicet, atque Cecilio : neque externa vi ſublevantur, ſed ſua. Nam quod M. Tullius oſtendit, quodam loco

partem alteram propoſitionis confirmans, ſociorum voluntatis habendam eſſe rationem in accuſatore deligendo, id eo ſpectat, non ut ſociorum voluntas vim habeat teſtimonii, ſicut in magiſtratibus, & legibus creditur habere, ſed ut judices, quorum eſt optimo accuſatori dare delationem, officio ſibi ſuo ſatisfeciſſe videantur, ſi ei dederint, cui dari voluerint, quorum res aguntur. Eſt igitur argumentum e duobus ſignis, in re ſubjecta, unde ſumptum eſt, inhærens & infixum.

Sed cum multi ſint loci inhærentes, & infixi in rebus ipſis, ex quo eorum fuerit depromptum perquiramus. Ciceronem de ſignis, unde illa eruantur varie ſenſiſſe video. In topicis apertiſſime illa ponit in adjunctis, quod non ſolum exempla demonſtrant, ſed multo etiam magis illa verba, quæ addit exemplis, & ſi quæ alia ſigna conturbationis & conſcientiæ: & rurſus illa, ceteraque quæ ſuſpicionem facti poſſunt movere. In lib. vero partit. ea refert ad eventus qui efficiuntur ex cauſis his verbis: *C. F. teneo, & quæro qui ſint illi eventus, quos ex cauſis effici dixiſti C. P. conſequentia quædam ſigni præ-*

teriti, & quaſi impreſſa facti veſtigia, quæ quidem vel maxime ſuſpicionem movent, & quaſi tacita ſunt criminum teſtimonia. Exempla deinde multa ponit, quæ in top. poſuerat in adjunctorum loco. Priorem Ciceronis rationem Ariſtotelis auctoritas confirmat, qui in prioribus analyticis fere extremis, in tria tempora ſigna partitur, ut ille adjuncta: & in lib. de ſophiſtarum reprehenſionibus omnia oriri affirmat ἐκ τῶν ἑπομένων; quo verbo, ut ſupra dixi, omnia adjuncta comprehendit. Quinctiliani ſententiam prætereo. Miror enim talem virum tam facile fuiſſe deceptum, & ſcripſiſſe ſigna eorum argumentorum eſſe, quæ ad oratorem a cauſis, atque a reis deferuntur. Quanquam in eodem capite, cum ſigna dicat ad omnia tempora pertinere, confiteri cogeretur, ſi quis urgeret, adjunctorum eſſe, ad quæ ſola demonſtravi illam temporum diſtributionem accommodari poſſe. Omiſſa igitur Quinctiliani ſententia, Ciceronis utramque rationem, & probabilem, & veram eſſe cenſeo. Namque ſigna earum quidem rerum, quas proprie indicant, ſunt effectus, hominum autem & negotiorum adjuncta. Verbi gratia, pallor, tremor, hæſitatio,

conſcientiæ, quæ ſignificant effectus, cædis autem factæ, & ejus, qui arguitur feciſſe, adjuncta ſunt non effectus. Pari ratione voluntas, & judicium tum Siculorum tum Verris de Cicerone, atque Cecilio, ſi cum agendi facultate, cujus judicium eſt, conferatur, effectus: ſi cum hominibus ipſis, Cicerone & Cecilio comparetur, adjunctum erit. Hæc omnia eadem illa via & ratione ἀναλυτικῇ facillime comprobantur. Sed & longum id eſt, & quale ſit, ex illis, quæ ſupra poſui, exemplis perſpicitur.

Quod ſi cognoſcere cupis illud etiam, de duabus M. Tullii rationibus quamvis veris, utram ipſe magis probem; aio poſteriorem mihi placere magis, quam priorem; quia ex ſignis illud directo concluditur, quod ſignificatur. Ut ex pallore conſcientia facinoris; ex voluntate Siculorum, & Verris metu, facultas Ciceronis & Cecilii ad accuſandum. Signa vero non adjuncta ſunt, ſed effectus, eorum, quorum ſunt veſtigia, atque ſigna.

Hæc de poſtrema quæſtione habui dicere. Tu pro tua ſingulari humanitate, ſi quid in hac diſputatione minus vere, aut commode dictum judicabis, id æqui bonique

nique facies, meamque ſummam tibi obſequendi voluntatem, etiam conjunctam cum erroribus humanis, non modo probabis, verum etiam amabis.

Petrus Ioan. Perpinianus Q. Mario Corrado.

IX.

NEqueo ſatis explicare verbis, quantam mihi lætitiam attulerint Calendæ Februariæ. Nam cum literas ad noſtrum Aldum, patremque, tuas Annibali Paulino miſſas fuiſſe cognoviſſem, adij eo die bene mane hominem, & numquidnam abs te aliquando ad Paulum Aldumque Manutios literarum accepiſſet, quæſivi. Ille vero quatuor aut quinque epiſtolas habere ſe reſpondit, neque dediſſe, quod eos non noſſet, & quinam eſſent, aut ubi habitarent, quęrere ſibi per occupationes non liceret. Eas ego ſtatim Aldo detuli. Illæ ipſæ repertæ ſunt, ad quas tibi nihil reſcriptum eſſe querebare, quarum exempla non multis ante diebus pater acceperat. Sed inſcriptiones antiquæ deerant; quæ res & lætitiam minuit utriuſque noſtrum, & mihi tum abs te tum ab Aldo

εὐαγγέλια pene abſtulit e manibus. Si quid poſthac eidem miſeris ad eoſdem, polliceor, me ne idem eveniat operam daturum. Miror equidem Annibalem Paulinum, aut tam hoſpitem eſſe, atque peregrinum in hac Urbe, ut frequentiſſimus omnium de Paulo Manutio ſermo nunquam ad ejus aures pervenerit; aut tantis occupationibus diſtineri, ut ne me quidem rogare potuerit, quinam is eſſet. Videlicet tota illa natio non tam cum libris, quam cum fiſcis habendam ſibi eſſe rationem arbitratur, & litigioſos magis homines diligit, quam ſtudioſos atque doctos. Tu de viri excellentis, bene de nomine ac dignitate reipublicæ Chriſtianæ meriti, Aldique filij ſumma in te voluntate, noli dubitare, quæ a libero, & tamen recto animi judicio profecta, cum tibi ad laudem ampliſſima videri, tum nobis amicis tuis ad voluptatem jucundiſſima eſſe debet. Narrarem quæ de te ille prędicare ſolet, quoties in hunc ſermonem incidimus, niſi vererer, ne & me, ſi de tuis laudibus aliquid attingerem, pro tua modeſtia potius aſſentatoris officio, quam amici fungi judicares; & nimium te levem, atque inconſtantem haberi doleres in amicitiis co-

lendis, ſi vix in tuam nuper gratiam receptus, tibi tuum veterem amicum, vel purgare vel commendare conarer. Sic habeto, principem te apud eum gratiæ locum obtinere, meque jam ardentem amore humanitatis & doctrinæ tuæ multis ejus ſermonibus, qui tuam in ſcribendo plenam dignitatis elegantiam facile multorum literis anteponit, mirum in modum ad te diligendum inflammatum eſſe. Vale. Marcellum fratrem tuum jube ſalvere, meque ut facis ama. Non. Februar. M. D. LXIV.

Q. Marius Corradus Petro Ioan. Perpiniano.

X.

TAbellarij poteſtas mihi tandem eſt oblata, cum ſcribere ad te per otium non liceret, multiſque rebus ac variis obruerer. Nunc itaque agerem tibi, quibus poſſem verbis gratias, niſi quantulum eſt hoc temporis, quod vix a tabellario etiam impetravi, dare mallem ſtudiis dubitationibuſque meis. Mihi igitur erat in animo, antequam tuas acceperam literas,

Digitized by Google

de Perionij te ſententia percontari. Nunc aberam a libris, & iis, quæ a te ſunt ſcripta divinitus. Non poteram omnino, quæ vellem recordari. Eram in via, & occupatus rerum cogitatione plurimarum. Sed videntur mihi non placuiſſe tum, quæ Perionius tradidit, conſequentia & antecedentia, judicij eſſe non inventionis, quum antea intelligere viderer, fortaſſe falſo, ita mihi tamen videbar, ſcire videlicet, quidnam ſint hæc duo ex Ariſtotelis 1. rhet. lib. ἀκολουθεῖ δὲ διχῶς. ἢ γὰρ ἅμα, ἢ ὕστερον, οἷον τῷ μανθάνειν τὸ ἐπίστασθαι, ὕστερον· τῷ δὲ ὑγιαίνειν τὸ ζῆν, ἅμα, quæ nihil pertinent ad judicandum. Cum te his de rebus conſulere cogitarem, ecce tibi amanter ſcriptæ ad me literæ tuæ. Non ero hic longior, neque erat otium, neque mecum tuas habebam epiſtolas, unde recordari poſſem, quæ oporteret. Illud vero unum eſt, quod ego maxime vellem, in eoque mihi ſunt omnia, ut quæ ſcribo, a M. Tullii ſententia, quam is hac tota de re habuit, minime diffidere videantur. Etſi enim res ipſa mihi, ac veritas præcipua eſſe debeat, nunc tamen meis in ſcriptis, quæ habeo inſtituta, ab eo, qui mihi propoſitus in his eſt auctor, diſcrepare non poſ-

ſum. Quod ſi antecedentia, conſequentia, repugnantia ad judicium referantur, næ argumentorum loci multo ſunt pauciores, quam putabam, & majores ego in dubitationes adducor. Garriebam hæc imparatus ex itinere, ut ne mihi quidem ſatis eſſent nota, quæ ſcriberem: ſi quid tamen ego his tribus, aut aliis de locis, & numero, ut dixi, locorum, Ariſtoteliſque ſuperiore ſententia, non falſo prorſus tibi ſomniaſſe videor, expectabo de his literas tuas. Sin hæc intelligi ſuperioribus ex tuis literis poſſunt, cum ero domi in ſtudiis, videro quæ mihi non veniebant in mentem, & accuratius ad te literas mittam. Vale. Ex itinere. XI. Cal. Maias. M. D. LXIV.

Petrus Ioan. Perpinianus M. Ant. Mureto.

XI.

ONus Ætna gravius mihi videntur ſuſtinere, qui fidem alteri ſuam aſtrinxerunt: niſi ejus, aut cui, aut pro quo ſpoponderunt, humanitate ſubleventur. Scis, credo, quid velim. De verſibus illis in D. Mariam Lauretanam, qui eos

a te optabat, propter ſingularem expectationem elegantiæ & doctrinæ tuæ, is me urgere non ceſſat. Ego, tametſi inſcio & inconſulto te, me temere recepiſſe intelligo, tamen hanc temeritatem in ſpondendo meam, tua eximia, in re perficienda, humanitate compenſatum iri confido. Si quid poſſunt fontes & pomaria Tiburtia, ſi quid iſte receſſus otii a quotidianis occupationibus tuis attulit, oro te atque obſecro, ut oſtendas, me nonnullum apud te gratiæ locum obtinere. Quædam tecum communicare cupiebam: ſed ea melius, ut ſpero, coram, ubi ad nos redieris. Nam ſummus noſtræ ſocietatis magiſter ſtatuit, ut Romæ anno proximo manerem. Noſtri omnes te ſalutant. Vale. Ex Urbe. XVIII. Calend. Septemb. M. D. LXIV.

M. Ant. Muretus Petro Ioan. Perpiniano.

XII.

CUpio equidem & meam & tuam fidem liberare: ſed mihi adhuc multa, ne id facere poſſem, obſtiterunt. Primum quod quem locum, quodque tem-

pus otij & quietis pleniſſimum putabam fore, in eo me & multa, & longiſſime a ſtudiis meis abhorrentia negotia occupatum atque exercitatum habuerunt. Nam, ut cetera taceam, his paucis diebus bis mihi Romam eundum fuit: quod etſi leve videri poteſt, tamen eæ mihi profectiones octo amplius dies abſtulerunt. Deinde quod multos jam & menſes & annos intermiſi poetica ſtudia, ut etiam ſi quid olim fuiſſet in me ejus facultatis; quod ſane aut nihil, aut pertenue quiddam & perexiguum fuit; effluxiſſe id tamen & exaruiſſe neceſſe ſit. Poſtremo, δεῖ γὰρ τ' ἀληθῆ λέγειν, tardiorem me ac timidiorem facit expectatio illa, quam de meis verſibus concitatam eſſe ſcribis. Scis enim, quam inutilis ea, atque aliena ſit placere cupientibus. Nam ſi illud a me poſtulatur, ut tuorum elegantiam æquem, a te ipſo mihi verſura facienda fuerit. Utut eſt, meditabor tamen propediem aliquid. Sed ſi me amas; quod quidem ita mihi perſpexiſſe videor, ut, quin ita ſit, dubitare non debeam; minue, obſecro, quantum potes, iſtam expectationem: ac perfice, ut ille amicus tuus, a me, tanquam a malo nomine, ut nummos, ita verſus, etiamſi ne-

Digitized by Google

que optimæ notæ erunt, neque juſti ponderis, æquo tamen animo accipiendos putet. Bene factum, quod te ſocietatis veſtræ magiſter Romæ retinendum judicavit. Mihi crede, magnam moleſtiam cepiſſem e diſceſſu tuo. Nunc ſpero fore, cum iſtuc rediero, ut fruar tua ſuaviſſima mihique optatiſſima conſuetudine, quam ego quanti faciam, ſpero te re ipſa aliquando cogniturum. Vale. Tibure. XVI. Kal. Sept. M. D. LXIV.

Petrus Ioan. Perpinianus M. Ant. Mureto.

XIII.

TUum tamen reditum expectare non poſſum. Timeo namque ne ſit ille tardior. Mihi autem maturato eſt opus. Quonam, inquis, adeo feſtinas, ut pauculos hos dies expectare non poſſis? Nuſquam equidem. Noli metuere, ne mutata magiſtri noſtri ſententia mihi ſit ex urbe proficiſcendum. Rem totam a principio audies. Præpoſitus iterum rhetoricæ ſcholæ, a qua me ſolutum penitus ac liberum eſſe arbitrabar, de præfecti noſtri ſententia ſtatui Ariſtotelis de arte dicendi

libros explicare, ut ſi nihil tanti magiſtri ſubtilitate dignum in lucem potuero proferre, quod ita plane futurum eſſe video, certe conatus ipſe in re perdifficili, nonnihil ab auditoribus gratiæ, & benevolentiæ conſequatur, ſummique philoſophi nomen apud omnes illuſtre, languidiora juventutis ſtudia vehementius excitet ad diſcendum. Multa igitur, ita ut fit, legenti & meditanti mihi, quæ ad eorum librorum explicationem uſui fore viderentur, quędam occurrerunt, quæ meum animum ita dubium & incertum habent, ut non ſit facile ſtatuere quid ſequar. De his tuam ſententiam exquirere decreveram, ubi rediſſes. Verum, ut dixi, timeo, ne ſerius, quàm mihi eſt opus, revertare. Quare agam tecum per literas abſens, quod verbis præſens agere non poſſum; & quid ex te ſcire velim, paucis perſcribam. Non enim dubito, tametſi longe abes a libris, quin omni me dubitatione nullo negotio ſis liberaturus: eo magis quod de quibus ambigo, ea tibi jamdudum quæſita, cogitata, tractata eſſe ſcio. Primum itaque velim cognoſcere, quid tibi videatur de partitione artis Ariſtoteleæ in tres libros. Præteritumne putes hoc opus,

quod nemo Ariſtotelis eſſe negat, a Laertio, qui duorum tantum librorum fecerit mentionem: an innumeros librarios fuiſſe mendoſos: an in duas duntaxat partes unum illud quaſi corpus ab auctore diſtributum, ab aliis poſtea in tres fuiſſe diviſum: numquidnam aliquando legeris apud antiquos Ariſtotelis interpretes, aut alios idoneos auctores, ex quo perſpici poſſit, quot in libros partitus ipſe fuerit hanc artem bene dicendi tam accurate conſcriptam. Deinde περὶ τῶν ἐξωτερικῶν καὶ ἀκροαματικῶν συγγραμμάτων ecquid comperti habeas. Nam ut a Cicerone, Gellio, Plutarcho, Galeno, Ammonio, Simplicio diviſionem hanc operum Ariſtoteleorum conformantibus diſſentiam, nullo pręſertim duce, nullo auctore, cujus nomen grave apud alios eſſe debeat, animum inducere non queo: argumenta contra ſentientium qua ratione refellam, non video. Cur enim, in primo libro Νικομαχείων, libros de anima, quos ſubtilitatis plenos eſſe omnes confitentur, ἐξωτερικοὺς appellat? Cur hos ipſos de moribus libros ad Nicomachum modo vocat ἐξωτερικοὺς, ut in 3. πολιτικῶν lib. modo ἀπὸ τῶν ἐξωτερικῶν ſejungit, cum in ipſis τὰ ἐξωτερικὰ veluti genere prorſus diverſa citet? Cur τῶν

ἀκροαματικῶν nulla uſquam mentio ? Quod enim octo libri τῆς φυσιολογίας, περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως inſcripti ſunt, eam ego inſcriptionem idcirco Ariſtotelis ipſius non eſſe ſuſpicor, quod nuſquam illi ab eo libri hoc nomine citantur. Poſtremo doceri cupio, an dialecticæ nomen ſic ab Ariſtotele aliquando uſurpetur, ut non τὴν τοπικὴν ſolum, ſed totam omnino logicam comprehendat. Alexander enim in procemio τοπικῶν, tres tantum tradit hujus verbi ſignificationes : de hac vero vulgari notione prorſus nihil. At mihi in hoc, quem ſubjiciam loco primi de rhetorica libri : περὶ δὲ συλλογισμοῦ ὁμοίως ἅπαντος, τῆς διαλεκτικῆς ἐστὶν ἰδεῖν, ἢ αὐτῆς ὅλης, ἢ μέρους τινὸς, non alia notio videtur eſſe ſubjecta. Nolim tibi eſſe moleſtior. His nunc ero contentus, Si quid eſt aliud, de quo ſcire velim quid ſentias, id ad tuum in urbem reditum reſervabo, ne jure queri poſſis, ne in otio quidem tibi licere eſſe otioſum. De verſibus quos avidiſſime expecto, næ tu prudentiſſime feciſti, qui tandiu noſtros animos tenueris expectatione ſuſpenſos, ut tanquam poculum aquæ frigidæ longinqua ſiti exareſcentes, ſic nos illi multum cupientes, & diuturno deſiderio flagrantes inſolita quadam ſuavitate per-

fundant. Accipio tamen excuſationem, modo quam citiſſime, quod commodo tuo fiat, eos ad me mittas. Nam quod vereris, ut expectationem de te concitatam poſſis explere, vide ne, dum modeſtus haberi ſtudes, parum de nobis amice exiſtimare videaris. Quid enim? ſic nos intelligentiæ communis expertes eſſe putas, ut quantum a quoque ſperandum ſit, videre nequeamus? aut tam parum ſtudioſos tui, ut quemadmodum nobis ſatisfacias, vehementer ſit tibi laborandum? Facis tu quidem quod te decet, ut nihil a te, niſi ſumma induſtria elaboratum atque perfectum, exire patiaris. Verum ſic habeto, tantam eſſe omnium noſtrum erga te benevolentiam, eam de ingenio & doctrina tua exiſtimationem, ut ſi quid minus dignum tuo nomine editum a te fuiſſe videremus, id quod accidere nullo modo poſſe intelligo, ſed ſi quid a te elucubratum, ſcriptorum tuorum diſſimile, forte legeremus, noluiſſe te potius tantum contendere, quantum poſſes, quam quantum contendiſſes, efficere non potuiſſe crederemus. Vale.

Petrus Ioan. Perpinianus Q. Mario Corrado.

XIV.

TAm diuturnum ſilentium noſtra illa conjunctio ferre poteſt? nec veretur, ne tam longa intermiſſione literarum langueſcat amor nullo congreſſu, nullo ſermone, ſcribendi duntaxat mutuis officiis excitatus? nam a menſe Februario anni ſuperioris nihil ego prorſus ad te literarum dedi. Tu poſt eam epiſtolam, quam eodem anno XI. Cal. Maij ex itinere ſcripſiſti; num quid aliud ad me, neſcio; illud certe ſcio, accepiſſe me omnino nihil. Itaque tametſi tibi, tuiſque omnibus non ſecus eſſe ſpero, quam volumus amici tui: tamen interdum, ut ſunt res hominum variæ, inconſtantes, incertæ, ne tibi quid acciderit, quod nolimus, pertimeſco; nec dubito, quin idem tu de me ſæpe cogites. Verum omnem tibi de me dubitationem auferet hæc epiſtola: tu ut eodem modo me liberes metu, etiam atque etiam rogo. Nam eadem opera Paulum quoque noſtrum liberaris, tanto de te ſollicitum magis, quanto vobis inter

vos neceſſitudo vetuſtior intercedit. Vidimus hic epiſtolarum tuarum octo libros, & eo quidem libentius vidimus, quod doctiſſimis hominibus magnopere probari cognovimus elegantiam, & humanitatem tuam. Me quoque ipſum cunctantem, ac verecundantem quodammodo, & conſcientia tenuitatis meæ ab hominum luce refugientem, ut aliquid ederem impulit importunum ſtudium eorum, qui ſe ad noſtram diſciplinam contulerunt. Nam cum multa nonnulli deſcripſiſſent, eaque vulgo plena mendis circumferrentur, de ſententia eorum, qui nobis præſunt, ſtatui multo eſſe melius, correcta ſemel diligenter, emitti, quam non modo meis, verum alienis etiam erroribus, meum in angulis nomen derideri. Quamquam hoc conſilium, ne mihi magis noceat, quam prodeſſe poteſt, non mediocriter reformido, cum illa corrupta paucorum in circulis, aut etiam ſinu potuerint latere, hæc edita in lucem neceſſario ſint in multorum eruditiſſimorum hominum manus perventura, quorum ego limata politaque judicia, homo ab ultimis barbariæ fluctibus, quatuor abhinc annos, advectus, non ſine cauſa perhorreſco. Sed audendum tamen aliquid fuit,

Digitized by Google

ut adoleſcentulorum immoderatæ fortaſſe, non inhoneſtæ tamen cupiditati ſatisfaceremus. Eas igitur orationes, quas per hoſce quatuor annos habui Romæ, foras dedi. Quarum exemplum unum tibi mitto, tum ut intelligas, quanti te faciam, tum ut judicium hoc toto de meo ſcribendi genere tuum cognoſcam. De perfecta doctoris Chriſtiani forma, qua de re ſcripſeram aliquando me neſcio quid meditari, dixi tum quidem aliquid, quantum licuit per auditores faſtidioſiſſimos; verum nec ſpeciem illam, quam animo comprehenderam, vel exprimere, vel adumbrare potui illa ſemel hora; nec poſtea mihi licuit per occupationes multas atque graves, conficere quinque orationes, in quas mihi totum illud argumentum fuerat diſtributum. Quare mihi rem integram eſſe volui, ſi quid otij aliquando nec opinanti concedetur. Quod ex primo artis Ariſtotelicæ libro perſpexiſſe tibi videbare, quæ ſint antecedentia & conſequentia, vide quæſo etiam atque etiam, & conſidera diligenter, quid ab illo ſcriptore ſignificetur. Mihi enim, & in eo loco, quem tu notaſti, & in alio ejuſdem libri, qui non multo poſt ſequitur, & in duobus aliis li-

Digitized by Google

bri ſecundi, ubi explicat argumentorum ſedes, conſequentia vocare videtur, quæ a Cicerone dicuntur adjuncta. Id ipſa partitio declarat, cui membrum unum tantum abeſt eorum, quæ Cicero ponit in adjunctis: declarant exempla poſita in extremo eorum, quos notavi, loco. Quod ſi ita eſt, ut ego ſuſpicor, næ longe diverſus eſt in rhetoricis Ariſtotelis, atque in top. M. Tullij conſequentium locus: tametſi poſteriore libri primi loco illa quoque M. Tullii conſequentia, quorum ipſe etiam in topicis fecerat mentionem, videtur eſſe complexus. Nam illis duobus generibus, quæ jam antea enumerarat, tertium addit his verbis δυνάμει δὲ τὸ ἱερογονεῖν, τὸ ἀπαιτεῖν. Quid exiſtimes tota de re, & de iis, quæ tibi ſcripſi poſtremo, ſcire vehementer opto. Marcello noſtro plurimam ſalutem. Et quoniam quid me futurum ſit ignoro, vereorque ne mihi ſit in alias terras proficiſcendum; oro te, & obſecro, ut mihi quamprimum reſcribas. Vale. Romæ, I v. Cal. Sex. M. D. LXV.

Petrus

Petrus Ioan. Perpinianus Franciſco Adorno patri ſuo carisſimo.

XV.

PRidie Idus Octobris, literæ tuæ Genua datæ, & aliquot ante diebus ad nos perlatæ, mihi Laureto, quo religionis ergo fueram profectus, redeunti redditæ fuerunt, quibus me multis verbis propemodum orabas, ut aliqua tibi de Conimbricenſi puerorum inſtitutione perſcriberem, quantum videlicet reminiſcendo poſſem recordari. Tametſi nonnunquam ſic hęſitabas, ita dubitanter & timide petebas, vehementer ut mihi diffidere videreris, ac vereri, ne omnis ille mutuæ inter nos charitatis ardor, quem longa conſuetudo vitæ, & ſtudiorum ſimilitudo multum accenderat, abſentia diuturna, locorum intervallo, animi oblivione refrixiſſet. Ego vero tibi, mi pater, vel petenti, vel etiam roganti, & amicitiæ veteris obteſtanti jura, morem gerere valde cupiebam. Quid enim Franciſcus Adornus a Petro Perpiniano impetrare non debeat? Memini profecto, memini temporis illius, quo mihi tempore ſe-

licius aliud nullum tempus illuxit, cum in illa Conimbricenſi pietatis officina, ad omnia tum privatæ, tum publicæ virtutis officia, quaſi denuo fingebamur, & a Deo magiſtro per optimos religioſiſſimoſque patres præceptis ſalutaribus conformabamur: cum illa, quæ nunc pleriſque, ac mihi etiam ipſi magis, quam aliis, video difficilia atque aſpera videri, & alia longe maiora, nemine vel imperante, vel monente, ſponte noſtra, vel divino potius quodam impulſu faciebamus. Quamquam ego ſpectator magis eram alienarum virtutum quam auctor mearum. Sed illa ipſa certe multorum egregie factorum contemplatio, quamvis ipſe ab illa perfecti officii ratione longius abeſſem, & magna me voluptate perfundebat, & ſtudium melius inſtituendæ vitæ, mirandum in modum, inflammabat, & ad aliquid audendum majores mihi animos addebat. Ejus temporis non omnino fortaſſe bene, at non certe prorſus male tranſacti memoria, præteriti boni recordatione jucunda, ſtatus præſentis comparatione peracerba, ſive lętitiam animo meo ſive moleſtiam afferat, ſive, quod eſt verius, utrumque; ſemper, in eam tamen partem animum meum impellit, ut omnia mihi & facienda, & patienda putem ejus cauſa,

quem aliquando participem & ſocium, & prope ducem habuerim tanti boni. Optabam igitur & vehementer optabam obtemperare voluntati tuæ, & quidquid hoc eſt, quod poſtulabas, id tibi primo quoque tempore mittere, quam poſſem diligentiſſime confectum. Verum, ut tibi tum Caroli Urſini literis ſignificatum fuiſſe arbitror, me de via feſſum permultæ occupationes exceperunt, tam neceſſariæ ut negligi non poſſent; tam illius temporis propriæ, ut in longiorem differre diem fas non eſſet; tam denique graves, locum ut nullum relinquerent aliud aliquid agendi. Cœperam ante profectionem rhetoricas inſtitutiones noſtri Cypriani Soarij recognoſcere, ut iterum emendatiores, ſi quid aut addi aut demi aut mutari neceſſe eſſet, meliores ederentur. poſt reverſionem cum p. Natalis urgeret, paucis diebus multorum menſium opus perficiendum fuit. Dijudicandæ erant eorum orationes atque verſus, qui ea lege ſubierant ſcribendi certamen, ut victoribus primis & ſecundis præmia publice darentur: ego fui ad illud arbitrium cum aliis delectus. Conſtitueram tres Ariſtotelis de arte rhetorica libros explicare, aderatque jam fere tempus, quo initium interpretandi a me fieri oporteret:

ad hoc autem munus imparatus accedere turpe eſſe ducebam : adoleſcentes principio ad eloquentiæ ſtudium cohortandos exiſtimabam : quantum mihi fuerit laborandum & ſudandum, tu ipſe cogita, mi pater. Conſecutus eſt quotidianus docendi labor, quem quidem tantum non ſuſciperem : mirum hoc tibi fortaſſe videbitur, & novum, ſed id quod eſt loquor : tantum, inquam, in docendo laborem non ſubirem, niſi tot jam annos in hoc ſtudio conſumpſiſſem : quantum autem ſuſcipiam potes vel ex hoc uno conjicere, quod ſingulis diebus quaternas, aut quinas horas mihi ſcribere ſolemne, & quaſi legitimum eſt, verenti ne ſiquid de hac tanta contentione remiſero, non officio meo, non promiſſo ac recepto, non Ariſtotelis nomini, non hominum expectationi, non gymnaſij Romani ſatisfacere videar dignitati. Nihil de valetudine dico, qua ſic fui Novembri menſe conflictatus, ut nunquam antea gravius. Alia & multa, & magna incommoda prætereo, quæ ſi nulla fuiſſent, tamen neque paucas, neque leves fuiſſe cauſas vides, ut quod vel religioni tuæ, vel obſervantiæ meæ, vel amori utriuſque deberi ſentiebam, tanto ſerius perſolverem, quam volebat uterque no-

ſtrum. Sed perſolvo tandem, quod in tanta occupatione non parum tibi debet videri, & perſolvo aliquanto amplius, non quam tibi quidem debebam; quid enim eſt, quod ego non debeam voluntati & benevolentiæ erga me tuæ? verum aut quam auſus tu fueras tamen, aut quam æquum eſſe duxeras poſtulare. Nam cum ex me cognoſcere te velle dixiſſes, quænam in gymnaſio Conimbricenſi Societatis noſtræ ratio, in pueris infimorum ordinum erudiendis teneatur, ego tum gratificandi tibi, tum ſtudio muneris mei cumulandi & ornandi, univerſam illius gymnaſii inſtitutionem animo complexus; quid de tota liberum Latinis Græciſque literis inſtituendorum ratione ſentirem, illi ipſi perſcripſi, cujus cauſa me rogaras, non qua forte ille expectat elegantia & prudentia, ſed qua potui certe diligentia & cura. Accipe igitur parvum opuſculum, his frigoribus elucubratum, quod, ſi quidem non abhorrebit ab eo, quod quærebas, ubi Lælius noſter perlegerit, & ſi quid ei videbitur, emendarit, illi mitte, cui hoc officium tribuendum eſſe judicaſti. Cum enim eum ſingulari eſſe humanitate vel ex eo intelligam, quod tibi tam carum eſſe videam; ſpero, ſi quid ipſi diſplicuerit, daturum eſſe veniam

mediocritati hominis ipſius cauſa laborantis. Sin res acciderit ſecus, quam ſperabas, & non modo amplius, verum etiam longe aliud fecero, quam volebas; tu, mi pater, ſic exiſtimato facultatem mihi perficiendi defuiſſe, non tibi obſequendi voluntatem. A Hieronymo Roſio unam epiſtolam, a Lælio Biſciolio duas accepi, quibus reſcriberem, niſi nolle ſcirem qui nobis præſunt. Pervenit ad vos opinor, quid de literis ultro citroque mittendis cautum ſit: mitto quædam tamen ad nonnullas Lælij dubitationes, quæ ut ei reddas, cum primum acceperis, te etiam atque etiam oro. Utrique multam ſalutem, & P. D. Pæſio, & ſi qui ſunt alii mihi noti. Quæ Lælius a me de gravibus acutiſque vocibus, ea ubi tranſcripta fuerint, mittenda curabo. Nam Franciſcus rem ſuſcepit, cui certe uni plurimum hoc nomine debeo. Quantum vulnus acceperimus his diebus optimi patris noſtri Laynis morte, ex aliis cognoſces. Vale, mi pater, ac pro me Deum aſſidue deprecare. Romæ. XIII. Cal. Febr. M. D. LXV.

De ratione liberorum inſtituendorum literis Græcis & Latinis.

CAPUT I.

De magiſtro.

ANte omnia magiſter deligendus eſt, integris moribus, flagranti ſtudio, ingenio acri, literis exquiſitis, qui non communium pædagogorum more tempus omne contriverit in nugis aut ſomniis delirantium grammaticorum; ſed & præcepta pauca, eaque ex optimis quibuſque auctoribus in promptu habeat; & ſcriptores elegantiſſimos cujuſque generis, poetas, hiſtoricos, oratores penitus cognoſcat; & ſit ipſe tum in loquendo, tum in ſcribendo bene exercitatus. In quo duo præcipue videnda ſunt, ut & Græcarum literarum ſit bene gnarus; neque falſa opinione ſcientiæ inflatus, grammaticam tanquam unam aliquam maximarum artium ſibi docendam putet.

De arte grammatica.
CAPUT II.

ARs deinde literarum magna cura vel de multis eligenda, vel, ſi nulla reperietur idonea, componenda eſt, quæ neque longitudine, ac multitudine præceptorum, ingenia puerorum obruat, neque obſcuritate in deſperationem adducat, neque diſputationum de rebus ab uſu remotis, quæſtionumque ſerie, & opinionum varietate impediat, neque contaminati ſermonis vel præceptis vel exemplis eos inquinate loqui aſſuefaciat : ſed & brevitate memoriæ ſerviat; & perſpicuitate ad diſcendum invitet; & præcipiendi ſimplicitáte intelligentiam adjuvet; & puram & incorruptam Latini ſermonis integritatem alat & elegantiam.

Ac primo quidem habeat uſitatas tum nomina tum verba declinandi formas, abſque præceptis, quibus anomala verba pauca ſint adjuncta, ea videlicet, quæ frequentiſſime occurrunt, *nolo*, *volo*, *malo*, *fero*, *ſum*, & ſi qua ſunt alia. Significatio vero primæ tantum adſcribatur cujuſque temporis per-

ſonæ, vulgari ſermone quammaxime proprio & eleganti; quod & ad intelligendum ſatis eſt, & ad declinandi exercitationem expeditum, & ad memoriam facile ac diuturnum.

Declinandi formas excipiant prima elementa & quaſi rudimenta grammaticę, quę a literis & ſyllabis orſa, de partibus orationis ea tradant, quæ pueris & cognitu facilia & utilia futura videantur. In his autem extremis perpauca quædam, eaque maxime communia, de conjunctione verborum, quam ſyntaxim vulgo vocant, præcepta ponantur, ut de nomine & verbo; de nomine & adjecto ad nomen; de antecedente & eo quod refertur ad antecedens; quem omnia verba caſum ante, quem poſt deſiderent; *ſum* quos caſus amet, & ſi qua ſunt generis ejuſdem.

Sequantur genera nominum, & præcepta declinandi; quibus illa complector quæ præterita & ſupina vulgus appellat. Verum in his nimia diligentia vitanda eſt; neque omnia, quæ uſquam reperiri poſſint, ſine delectu congerenda. Sed omittenda illa, quæ cum in ſermonem, aut raro, aut nunquam incidant, ſine fructu ſunt a moroſis grammaticis collecta. Nihil prætereatur eorum, quæ communia ſunt omnibus declinandi

formis : quæ propria ſunt cujuſque formæ , neque magnam habent varietatem, paucis explicentur : quæ valde rara ſunt, & univerſo genere comprehenſa, lectioni potius, & conſuetudini reſerventur.

Tum nomina & verba, in quibus aliquid deſit, & quæ á communi ratione diſcedant, diligenter enumerentur deſcripta generatim; ſed ita, ut & nihil ſit, quod bonorum ſcriptorum non confirmet auctoritas, & quæ maxime tritá videbuntur, ſeparentur a ceteris, quo facilius ea pueri memoriæ commendent.

His proxima ſit jungendorum verborum, & orationis componendæ ratio, quam ſyntaxim diximus verbo Græco. In hac vero, ſumma, ut mihi quidem videtur, prudentia opus eſt. Nam non omnia, quæ Ennius, aut Piſo in annalibus, aut Pacuvius, aut Accius, aut etiam Plautus dixit aliquando, ad artem revocanda ſunt. Verum ea præcipienda tantum, quibus ſi quis utatur vel in adſtricta verſu, vel in ſoluta oratione, laudem politi ſcriptoris aſſequatur. In quibus tamen, quæ poetarum propria ſunt, quæ hiſtoricorum, notari opus eſt, ut ea pueri caveant in ſermone communi. Quæ abhorrent a vulgari conſuetudine loquendi, raraque ſunt, ea ſeparatim exponentur.

Præceptiones autem ipſæ primum ex partibus orationis generatim, deinde ſpeciatim ex ſignificatione deſcribantur. Nam qui certos conſtituunt verborum ordines, in his autem infinitam quandam ſylvam ſuggerunt, eos ego duobus nominibus exiſtimo graviſſime peccare, quod & memoriampuerorum multitudine verborum opprimant, & facultatem nullam afferant recte emendateque loquendi; cum pueris ante ſit cognoſcendus verborum uſus, quam ad quem ordinem pertineant, videre poſſint.

Extrema ſit illa pars, quæ faciendorum verſuum viam aperit, & acutarum graviumq; rerum continet rationem. Hic communiaquędam admonitade longitudine & brevitate ſyllabarum explicentur. Incrementa nominum & verborum prætermitti poſſunt, cum uſu ipſo bene loquendi longane ſint, an brevia cognoſcatur: aut ſi ea placet exponi, removeantur illa certe, quæ in tertia nominum declinatione tam multiplicem varietatem habent, ut longe ſit facilius ea ſine arte memoria continere, quam redigere in formam artis. De primis mediiſque ſyllabis totus locus ad lectionem poetarum, atque ad uſum rejiciendus eſt. De ultimis quoniam brevis eſt tota res, diligenter præcipien-

dum. Tum addantur de gravibus acutiſque vocibus pauca ex antiquis, relictis omnibus, quæ multis poſt ſæculis inepte grammatici quidam excogitarunt. Poſtremo genera verſuum, ea præſertim, quæ maxime ſunt in uſu, ita doceantur, ut in quo ſita ſit cujuſque generis elegantia, ſedulo demonſtretur. Atque in his omnibus tractandis elaborandum eſt, ut nihil neque præcipiatur, neque dicatur, quod bene Latinum non ſit, & ſingulæ res appoſitiſſimis exemplis, delectis ex optimorum auctorum ſcriptis, comprobentur.

Declinandi forma, & rudimenta & ſyntaxis, non aliunde melius, quam e Linacro ſumi poſſunt. De gravibus acutiſque vocibus, ex oratore Ciceronis, ex Gellio, Quintiliano, cetera ex aliis colligi neceſſe eſt, ut illud ab unoquoque, quod recte obſervarit, prudenter accipiatur.

De orthographiæ ratione ideo nihil dixi, quod intelligo magis eam obſervationis & veteris conſuetudinis eſſe, quam artis. Verumtamen quia præcepta communia dari poſſunt recte ſcribendi, ea, ſi placet, partim ex Cicerone, partim ex aliis deprompta adjungantur extremo loco, prætermiſſis his, quæ quoniam innumerabilia ſunt, nec ullo

certo genere circunſcribi aut definiri poſſunt, artis expertia videntur. Quanquam hic quoque non minus multæ, quam in aliis partibus grammaticorum ineptiæ deprehenduntur, quas vitari diligenter oportebit. Sic pueri falſis præceptis imbuuntur.

De grammatica tradenda.
CAPUT III.

HUjuſmodi arte vel ſelecta vel compoſita, curandum in primis eſt, ut pueri literarum notas non indecenter exprimant. Conjuncta namque eſt cum orationis componendæ cura, diligentia ſcribendi. Quo in ſtudio ubi tantos effecerint progreſſus, ut ſpes aliqua ſit eos quotidiana conſuetudine ſcribendi perfectius in dies id eſſe facturos, omnes declinandi formas cum anomalis uſitatiſſimis memoriæ mandent, in iiſque diligentiſſime, diverſorum generum & nominibus & verbis ad declinandum propoſitis, exerceâtur.

Magnum autem adjumentum afferet tum ad memoriæ firmitatem, tum ad uſum ſcribendi, tum ad cognoſcendas orthographiæ ex caſibus commutationes, quantum erunt ſingulis diebus memoriter recitaturi, tantum eos in charta ante tranſcribere.

Digitized by Google

Ad celeritatem vero declinandi incitandam, modo nomina & verba propria inflectant : modo nullo ordine, quemcunque magiſter popoſcerit caſum, expedite edere cogantur : modo multa nomina non uniuſmodi conjuncte inflectant, ut *conſilium forte, & prudens* : modo perbrevem orationem per omnia tempora, numeros, perſonas, modos ducant; ut, *ego lego Ciceronem, ego legebam Ciceronem, tu legiſti Ciceronem, tu legebas Ciceronem.*

Sed danda eſt opera, ut hæc omnia & pura ſint, & ad communem ſermonem accommodata, eorumque ſignificatio intelligatur, ut etiamſi nulla didicerunt adhuc præcepta loquendi, tamen, ut aves nonnullas facere videmus, imitatione jam aſſueſcant Latine loqui.

Hinc ad rudimenta gradus faciendus eſt, nunquam intermiſſa exercitatione declinandi. Quia vero cum rudimentis auctor aliquis & politus & apertus explicandus patrio ſermone, is memoriter pronunciandus ad linguam locupletandam, ut ejus rei grata voluptate pueri vehementius ad ſtudium inflammentur.

Aliquid etiam quotidie ſcribere & componere cogantur, quamvis artis adhuc ex-

pertes. Vbi ab illis elementis ad genera tranſiverint & declinationes, eadem omnia obſervanda ſunt, & ſingulis diebus ex præceptis aliquid addiſcendum; & de bono ſcriptore nonnihil audiant, idque, quod audiverint, ex memoria exponant: & inflectendis tum nominibus, tum verbis exercitentur; & crebro de rudimentis, de generibus declinationum interrogentur, & aliquid Latine ſcribant. De nominibus autem illis, aut verbis, quæ vel aliqua re carent, vel ut communi inflexione, receſſerunt, pervagata ſolum memoria tenenda ſunt, quæ ob eam cauſam erunt, ut ſupra monui, deſcripta atque digeſta ſeparatim.

His grammaticæ partibus bene perceptis, & aſſidua exercitatione confirmatis, ad ſyntaxim pueri traducendi ſunt: in qua docenda idem, qui in ſuperioribus, tenendus ordo; adhibitis interdum declinandi, tum de rudimentis, generibus, declinationibus interrogandi exercitationibus; ne effluant ex puerorum animis, quæ didicerunt. Sed jam tum & auctor paulo gravior ſolutæ orationis, & facillimus aliquis poeta explanandus, & ſcribendi exercitationes aliquanto longiores inſtituendæ.

Poſtquam perſpectam habuerint jungen-

dorum verborum rationem; & plura eaque emendatiora ſcribere cœperint : ultima grammaticæ pars aperienda eſt, quæ pertinet ad verſus faciendos. Non prorſus abjicienda tamen ſuperiorum partium, præcipue ſyntaxis, exercitatio. Poeta vero gravior & difficilior pariter interpretandus. In quo ubi paululum profuerint, alternis diebus eos componendis verſibus exerceri perutile eſt. Tum ſi libuerit, de orthographiæ ratione delecta quædam : tum de ſyntaxi, quæ recondita magis, & rara ſunt, ex libris Linacri explicanda : tum probatiſſimi cujuſque generis auctores, oratores, hiſtorici, poetæ proponendi ad cognoſcendum.

De Græcis literis.
CAPUT IV.

ET quoniam non cognitio modo reconditarum artium, verum etiam loquendi copia manavit a Græcis ad Romanos; literas Græcas cum Latinis, ut M. Tullius filio præſcribit, conjungi neceſſe eſt. Tametſi Quintiliano minime aſſentior, qui grammaticam Græcam Latinæ vult ordine præponi. Fuerit hoc utile tum illis hominibus, quibus

quibus Latinus ſermo patrius & naturalis erat. Nunc certe non expedire confitendum eſt. Itaque non prius initium diſcendi Græcarum literarum exiſtimo faciendum eſſe, quam & tota grammatica Latina ſit animo comprehenſa, & Latine ſcribendi ratio uſu atque exercitatione firmata. De ceteris, quæ de Latinarum dixi, eadem ad Græcarum literarum artem transferenda ſunt.

De rhetorica.
CAPUT V.

EOdem tempore pueri bene dicendi pręceptis inſtituendi ſunt, ut etiam oratorie, hoc eſt, admirabilius loquantur. Ergo ſtatim ut grammaticam Latinam perdidicerint, quotidie diverſis horis aliquid de orationibus Ciceronis audiant, aliquid de optimo poeta Latino, de Græcis nonnihil, nonnulla de rhetoricis; ut & Latini & Gręci ſermonis elegantia, copia, ſplendor, ornateque dicendi facultas, quotidianis quaſi nutrimentis pariter adoleſcant.

Atque in rhetoricis quidem illa mihi ratio & via maxime probatur, ut ars prius

Digitized by Google

univerſa brevius explicetur, ordine quamaptiſſimo, verbis illuſtriſſimis, remotis longioribus de rebus dubiis diſputationibus, præcipiendo magis, quam quærendo. Poſt antiquiſſimi ſcriptores artis & graviſſimi fuſius & latius exponantur, & reconditiſſima quæque ejus diſciplinæ myſteria tanquam initiatis jam atque devotis enuncientur. Simul autem pueri crebris exercitationibus atque magnis omnem ſuam orationem ad Ciceronis & Demoſthenis dicendi conſuetudinem conforment. Illud enim intelligendum eſt maximam eloquentiæ partem in aſſiduitate ſcribendi & dicendi poſitam eſſe.

De auctoribus.
CAPUT VI.

SCriptores novi & recentes omnino rejiciantur. Antiqui tantum, ac ne hi quidem omnes, ſed optimi quique pueris exponantur. Quanquam eorum etiam, qui elegantia præſtant, delectus quidam habendus eſt, & omnis tum verborum tum rerum obſcenitas removenda. Itaque Terentium, quamvis optimum Latinitatis magiſtrum, pueris proponendum non eſſe ar-

Digitized by Google

bitror. Quod minus mirabitur, qui Fabium Quintilianum aliquando legerit. Nam univerſum is comicorum poetarum genus illi ætati vult interdictum eſſe.

Cicero, mea quidem ſententia, omnibus ætatibus & temporibus utilis eſt. Nam & epiſtolæ ſeligi poſſunt puerorum ingeniis accommodatæ; & iis, qui jam aliquid profecerunt, epiſtolarum graviorum & obſcuriorum, & nonnulli de moribus libri, & de officiis, de amicitia, de ſenectute. Paradoxa permagnum pueris afferunt emolumentum: & Tuſculanæ quæſtiones, aliique de philoſophia ſermones, cujuſvis eruditi mentem paſcunt. Orationes vero Latinas aliorum nullas habemus: &, ſi haberemus, tamen has omnibus aliorum præponendas eſſe ducerem. Hunc ſcriptorem qui penitus cognorit, is Terentij fabulas non magnopere deſiderabit: maxime cum in illis multa vitanda ſint, in Cicerone nihil. De hiſtoricis Cæſarem loquendi munditie primum puto. Huic addendi Livius atque Saluſtius, valde inter ſe diſſimiles & Cæſaris, ſed uterque in diſpari genere princeps.

Inter poetas Ovidio propter facilitatem primus videtur locus deberi. Cujus ut omnis fugiatur obſcenitas, eligi poſſunt loci

de Triſtibus, de Ponto, & multa metamorphoſeon fragmenta, multa faſtorum. Proximum velim eſſe Virgilium; tertium Horatium, relictis omnibus, in quibus erit aliquod veſtigium impuritatis. Addi quoque poſſunt nonnulla Catulli, Tibulli, Propertii, & Martialis delecta carmina, quæ a turpitudine longe abſint, qualia illorum trium perpauca reperiuntur.

In Græcis vel ab Iſocrate, vel a Xenophonte placet ordiri, quorum & pura eſt, & illuſtris oratio. Sequetur Demoſthenes oratorum princeps. Homerus Græcorum poetarum clariſſimus eſt, & omni ſcribendi laude primus. Hunc alij conſequentur eodem, quem in Latinis expoſui, delectu.

In hiſtoria noti ſunt Herodotus, Thucydides, Pauſanias, aut ſi breviorem expoſitionem deſideras, neque eam perpetuam, ſed quaſi interciſam, & jucundam ob varietatem, Ælianus de varia hiſtoria, alijque multi.

De rhetoricis præceptis artem breviter comprehenſam, cum ſint plurimæ, nullam probo, niſi quam Cyprianus Soarius, vir ſocietatis noſtræ, ex tribus laudatiſſimis auctoribus, Ariſtotele, Cicerone, Quintiliano, ipſorum fere verbis prudenter colle-

ctam, proximis annis, Conimbricę edidit, & tunc Venetiis apud Tramoſium iterum curavimus edendam. Iſtam vero artem illorum trium, quos modo nominavi, perfectiſſimam puto. Sed non omnes Quintiliani libri ſine diſcrimine interpretandi ſunt. Nam ut tertius, quartus, ſextus, octavus, nonus, multum conducunt: ſic ceteri ſunt eruditis magis, quam imperitis adoleſcentulis fructuoſi. Nec Ciceronis quidem æque omnia utilia ſunt. Partitionum libro, item ſecundo ac tertio de oratore, omnis bene dicendi ratio continetur. Orator dum eloquentię ipſius perfectiſſimam normam quærit, pręcepta pæne prętervolat, neque partem ullam, niſi elocutionem, enucleate explicat, locum ille maxime de oratione numeroſa. Topica tantum perſequuntur inveniendi locos. Brutus magnam ille quidem habeat utilitatem, ſed de ratione dicendi nihil, niſi forte curſim. Non ego male puerorum rationibus conſulere putarem eum, qui topica primum, poſt partitiones interpretaretur, poſtremo duos Quintiliani libros, octavum atque nonum, quibus quæ de elocutione Cicero nimis in pauca coarctavit, uberius & latius dicuntur. Ariſtotelis tres de rhetorica libri, quos vulgus falſo

Digitized by Google

ad TheodectEn inſcribit, ſunt illi certe & acuti, & referti rerum, & elegantes: ſed doctis magis, quam pueris, adjumento poſſunt eſſe.

De explicandi & audiendi ratione.

CAPUT VII.

EXplicandi & audiendi ratio una eſt & eadem in Latinis atque Græcis. Præcepta grammaticæ facili & illuſtri ratione explicanda ſunt, ſine quæſtionibus de nugis, crebris earumdem rerum repetitionibus. In exemplis, quibus pueri doceantur, quemadmodum illa ſint ad uſum accommodanda, magiſtrum occupatum eſſe malim, quam in omnibus, utilibus, inutilibus, hinc inde magno ſtudio congerendis. Auctorum ſcripta primo ſimpliciter & vulgari tantum ſermone ſunt declaranda: ut in verbis magis, quam in rebus, doctoris cura verſetur; & ſcholis ſingulis, aliqua genera loquendi inſignia notentur, apteque fictis exemplis pueri doceantur illis uti. Poſt ad vulgarem explanationem accedat etiam Latina: & mediocris diligentia conferatur ad res illuſtrandas; ut ſententiæ ſingulæ,

Digitized by Google

ſingulis ſententiis, & verba verbis aliis, *idem valentibus, & ad id, quod* agitur, *idoneis, explicentur. Ac genera* loquendi *in poeſi poetica, in hiſtoria hiſtorica*, in *oratione oratoria, in omnibus* communia *ſedulo demonſtrentur, & quæ ſit* cujuſque *generis propria nota, intelligatur*, ne aut *poeticis in oratione, aut hiſtoricis* utantur, *aut contra : & quæ neceſſaria* videbuntur ad rem *perſpiciendam* vel de hiſtoria & antiquitate, vel de *poetarum* fabulis narretur; nec, ſi quid in *artificio notabile*, prætereatur. Quandiu autem in grammaticis præceptis diſcendis pueri occupati erunt, tandiu eorum uſus in auctoribus indicandus eſt. Quem equidem initio in rebus fructuoſis inculcandis moleſtum eſſe malim, quam in prætermittendis faſtidioſum atque negligentem.

Ubi jam ingenia ætate, doctrina, uſu quaſi adoleverint, omiſſa explicatione vulgari, Latina locupletanda magis & rebus & verbis. De grammaticis, de locutione ipſa, niſi ſi quid admodum abſtruſum occurrat, nihil attingendum. Artificium & poeticum & oratorium, quanta maxima diligentia fieri poterit, aperiendum. In omnibus docendi partibus, utendum eleganti, polito,

accuratoque ſermone. Interdum etiam quidam major cum verborum tum rerum apparatus, & ornatus illuſtrior adhibendus, quo vehementius puerorum animi ad ſtudium excitentur. Omnibus vero temporibus doctori curandum eſt, ut auctorum explanationes & genere ipſo, & eorum, quæ exponuntur, multitudine vel paucitate, ſint puerorum ingeniis prope pares & æquales: ut quanta ad ipſorum intelligentiam, tanta ad interpretandi rationem fiat acceſſio.

Pueri, quæcunque explicanda erunt, ea in commentariis, elegantibus literarum notis, curioſa orthographiæ obſervatione, latioribus verſuum intervallis atque marginibus, diligentiſſime domi deſcribant. Quos quidem commentarios crebro magiſter inſpiciat, quo vel metu, vel pudore, magis ad ſtudium & ſcribendi diligentiam excitentur.

In ſchola & præceptorem docentem perattente audiant; & argumenta librorum ab eo breviſſime dictata, relicto ante unumquemque librum ad rem ſpatio, quantum videbitur ſatis, accipiant; & tum ſententiarum, tum verborum paraphraſticas interpretationes ſuo quidque loco inter verſus ipſos interponant; & inſigniores loquendi

formas, quas phraſes vocant, exemplis illuſtratas a magiſtro, longiuſculas rerum ipſarum aut verborum explicationes in marginibus adſcribant. Verum hic mos tantiſper tenendus eſt, dum pauca, vel non nimis multa certe de multis auctoribus exponentur. Nam poſtea ſatis erit, quæ vel inſignia maxime, vel ignota videbuntur, ea in commentariis excipi, notatis auctorum locis. Eadem ad Græca transferri volo.

De exercitatione.

Caput VIII.

Exercitationis, quæ ut in omnibus rebus, ſic etiam in hac plurimum valet, multæ ſunt partes. Prima eſt declinandi, de qua dixi in ratione grammaticæ tradendæ. Altera memoriæ propria eſt. Præcepta namque grammaticę, exceptis illis, quæ ſupra pręteriri debere dixi, omnia memoriter comprehendenda ſunt. Auctores item, unus orationis ſolutæ, alter carminis, quoad aliorum explicatio non ſuperabit mediocritatem. Loquendi etiam formæ, & rerum ac verborum interpretationes accura-

tiores. Artis vero rhetoricæ non verba omnia, ſed ſententias memoria retineri convenit: ut, ſi non iiſdem, certe paululum commutatis verbis, pręcepta ſingula pueri poſſint exponere.

Tertia exercitatio interrogatione & reſponſione continetur. Debet enim ſedulus magiſter habere definitum certumque tempus, quo & de præceptis ipſis & de auctoribus pueros roget. Atque in grammaticis quidem, modo præceptiones ipſæ quærendæ ſunt, ut *nomina in is cujus ſunt generis? pretij nomen cujus casus eſſe debet*? modo multæ res & variæ percontandæ, videndumque an earum rationem ex præceptis afferre queant, ut, *corbis cujus generis eſt? Rectene dictum eſt, emi villam duobus talentis*? Modo proponendæ ſunt breves oratiunculæ vulgares, quas ex tempore faciant Latinas. In quo fugienda ineptia communium pædagogorum, qui ubi ſententias quaſdam ediderunt inauditas, neſcio quibus e tenebris erutas, nullam ad rem utiles, niſi ad movendum riſum, eas perverſe excogitatas, perverſe docent dicere Latine. Præſtat eas ad præcepta grammatices, quæ vel antea fuerint expoſita, vel tum exponentur, & ad ea verba, quæ pueri viderint in auctoribus, accom-

modatas eſſe. In auctoribus primum ſententia roganda eſt, quam principio patria lingua modo, poſt etiam Latina, tandem Latina ſolum copioſius & ornatius exponent. Deinde ſi quid aut in verbis, aut in rebus adnotatum erit, id memoriter diſcere jubeantur, ſeu iiſdem, ſeu commutatis verbis. Ac tyrones dum erunt, in illis loquendi formis, quas exceptas in marginibus commentariorum adſcripſerint, exerceantur. Poſt ubi facti erunt uſu & exercitatione veterani, tum ad res ipſas uberius & magnificentius dicendas, tum ad hiſtorias & fabulas, quæ tactæ fuerint, varie jucundeque narrandas, omnem curam, otium, ſtudiumque convertant. In rhetoricis efficiendum eſt, modo ut pręcepta ſingula quibus malint verbis edant, & exemplis appoſitis illuſtrent: modo ut exempla in auctorum ſcriptis referant ad artem, & referant ad ſuum quodque locum. Cetera ſcriptoribus rhetoricis cum auctoribus aliis communia ſunt.

Quarta eſt exercitatio loquendi, quam ego magnam habere utilitatem non nego: ſed ita demum, ſi & pueri magno ad id ſtudio incumbant; & ſemper bene loquantur & polite; & ſtatim ut aliqua in re pecca-

rint, corrigantur a magiſtro : & ſelecta cujuſque generis, communium preſertim rerum verba, paulatim ab eodem ſuppeditentur ignaris. Alioqui ſine cura, ſine ſtudio Latine perpetuo loqui, neceſſitatem affert perverſe & inquinate loquendi.

Quinta eſt ſcriptio, tanto utilior, quam illa, quanto magis omnia perſpici ſcribendo poſſunt, quam loquendo. Ergo quotidie una hora ſcriptioni detur. Scribant autem præſente magiſtro, eique quod deſcripſerint præbeant, priuſquam a ſchola diſcedant; ut ne qua fallacia fieri poſſit, & ingenium & diligentia cujuſque perſpiciatur. Quo tempore ad liberam orationem accedat verſuum exercitatio. Eadem hora utrumque fiet percommóde alternis diebus. Verum non ſemper eadem eſſe debet ratio ſcribendi. Primo tyrocinio nunc nomina & epitheta, nunc nomina & verba, nunc antecedentia & relativa multa dictanda ſunt male cohærentia, ut ea ipſi apte jungant. Paulo poſt orationes vulgares quambreviſſimæ, quas faciant Latinas, quod etiam ſine arte facile præſtabunt, ſi orationes erunt cum iis, quæ de auctore aliquo fuerint explicata, ita conjunctæ, ut pueris liceat verbis eiſdem paululum inflexis uti. Ut autem

ſyntaxim attigerint, longiores orationes di-
ctari conveniet, quæ ſint & ad ea quæ au-
dierint præcepta jungendorum verborum
aptæ, & proximæ ſententiis auctoris qui
exponetur: ut pueri & grammaticorum ſcita
obſervare, & bonis atque illuſtribus verbis
uti aſſueſcant. Ubi erunt in ſcribendo exer-
citatiores, eorumque locutio videbitur ſa-
tis emendata, breviſſima tantum ſententia,
ſumpta ex media conſuetudine vitæ, quo ſit
notior & facilior ad explicandum, Latine pro-
ponatur, parique brevitate loci notentur,
unde copioſe tractari poſſit. Interdum poe-
tarum narrationes, & deſcriptiones, & inte-
gras fictis perſonis interpoſitas concio- 1
nes, verbis & ſententiis oratoriis expo-
nant. Nonnunquam orationes, quarum ca-
pita modo apud hiſtoricos perſcripta ſunt,
eorum perſona ſuſcepta, a quibus habitę di-
cuntur eſſe, ipſi perfecte compleant. Inte-
gras & directas orationes, quales apud eoſ-
dem multæ ſunt, aliis verbis explicari, Mar-
cus Tullius obeſſe magis cenſet, quam pro-
deſſe: quod in poetis mihi non videtur ha-
bere locum, quia longe aliud eſt loquendi
genus poetarum, atque oratorum. Poſtremo
cognita jam arte dicendi, & principia, &
narrationes, & confirmationes, & perora-

Digitized by Google

tiones ad diverſarum cauſarum naturam apposite componant ſeparatim, & in tractandis oratoriis argumentationibus, aliiſque majoribus dicendi ornamentis ſeſe exerceant. Inde ad laudationes & vituperationes. Ab his ad deliberationes. Hinc rurſus, ſi eam quoque partem attingere licebit, ad cauſas judiciorum transferantur. Et ita ſcribere & dicere conſueſcant, ut Ciceronem animo ſemper intueantur, ejuſque ſimilitudinem aliquam imitando aſſequi conentur. Sed hæc longiora & difficiliora non in ſchola componenda, verum domo afferenda elucubrata & perpolita, quorum argumenta copioſa & poetæ & hiſtorici ſuppeditabunt. Quæ compoſuerint, ea magiſter ſic emendet, ut principio vitia tantum ſermonis reprehendat; deinde non tam illa, quæ nulla jam eſſe debebunt, quam ſi quid ἄκυρον, ſi quidpoeticum, ſi quid obſcurum, ſi quid alienum, aut etiam contrarium, ſi quid male collocatum, ſi quid parum numeroſum erit, & cetera generis ejuſdem. Hæc de ſoluta oratione.

Carminis illa prima ſit exercitatio, verba poetæ nondum pueris nota, a magiſtro diſſoluta, verſibus rurſus adſtringere. Proxi-

ma, de argumento propoſito, verbis ad verſum aptis, crebris hemiſtichiis ac verſibus prope integris, quos expolire difficile non ſit, juſtum carmen componere. Poſtremo de ſententia ſignificata paucis a doctore, facere multos verſus. In corrigendo vero, vitia primum verſuum & ſermonis ſi qua erunt; deinde ſi quid parum poetice aut nimis audacter dictum, ſi quid ab artificio poetarum alienum, & alia his ſimilia, notentur. Ac in utroque quidem genere, & liberæ videlicet orationis, & vinctæ verſu emendando, ſæpe eſt utilius nonnulla diſſimulando tegere, quam omnia, quæ ſunt vitioſa patefacere reprehendendo; & ſi quid eſt boni, id laudando, puerorum animos reddere alacriores, quam ſi quid eſt mali, id nimis acerbe vituperando, deterrere & reſtinguere omnem animorum ardorem. Reprehenſionis aſperitas leni laudatione temperata, & vitia ſcribendi facile corrigit, & ſpem puerorum alit, & ſtudium vehementer accendit. Quanquam cognitum eſſe debet præceptori eorum, quos docet ingenium, ut inſtitutionem ſuam accommodet ad cujuſque naturam, exultantes nimia licentia verborum reprimat; cunctantes & quaſi verecundantes excitet ad audendum;

immodica ſe fundentes ubertate & copia coerceat; ſiccis atque aridis & ſuccum & vires addat cultura. Illud quoque multum prodeſt, orationes quemque ſuas & carmina ſedulo correcta a magiſtro, publice pronunciare.

Sextum & ultimum eſt exercitationis genus, auctorum explicatio. Nam ubi jam nonnihil eruditionis collegerint, & aliquam fuerint bene loquendi facultatem conſecuti; erit utile ab uno, ceteris audientibus, locum aliquem boni auctoris, vel hiſtorici, vel poetæ, diligentius & accuratius explanari. Sed ad hanc exercitationem eos quamparatiſſimos venire oportebit, ſumpto ſpatio non ad cogitandum ſolum, ſed etiam ad ſcribendum: ut & paulatim facere præclare diſcant, & quo res ipſis magis ex animi ſententia proceſſerit, eo ſibi majores animos & ſpiritus ſumant.

De ſtudio puerorum excitando.
CAPUT IX.

NUſquam autem eſt magis neceſſarium, quod ſupra monui, cognoſcendam eſſe cujuſque naturam, quam hoc loco. Sunt enim

enim qui metu, ſunt qui facilitate & amore magis commoventur. Ut vero humanitati & amori metus aliquis adjunctus eſſe debet, ne puerorum animi diſſolutione langueſcant: ſic timori aliquid ex illa facilitate influendum eſt, ne puerorum induſtria deſperatione frangatur. Verum illius profecto ſtudium neque diuturnum neque fructuoſum poteſt eſſe, qui veluti ſervus nunquam accenditur, niſi verberibus atque plagis. De illis ſpectatio longe major, qui & ſua ſponte ſatis incitantur, & magiſtri lenitatem verentur offendere, & modica atque honeſta laudatione ducuntur. His igitur tametſi metus aliquis propoſitus eſſe debet, ſi quando ab officio diſceſſerint: tamen præmia potius proponenda ſunt, ſi quid memoriter omnium optime recitarint, ſi quod verbum melius, quam alii, declinaverint, ſi ceteros aut ſcribendo, aut reddenda eorum quæ audierint ratione, aut explanandi cum elegantia, tum facilitate, copiaque ſuperaverint. Præmia eſſe poſſunt, ſeſſio inſignior, copioſior ex ore magiſtri laudatio, libelli auro picti, & alia multa generis ejuſdem.

Franciſcus Adornus Petro Ioan. Perpiniano patri cariſſimo.

XVI.

SEmper quidem in dicendo jejunum, ac plane aridum eſſe me, & novi, & dolui: ſed hoc ipſum nec clarius unquam perſpexi; nec vero me magis aliquando puduit, quam cum elegantiſſimas literas tuas legerem. Eram ſane, cum mihi redditæ fuerunt, de ſapientiſſimi Patris noſtri obitu, mœrore confectus: quare eis legendis, eum animum afferre non potui, quem earum elegantia, & incredibilis tua mihi obtemperandi; ſic enim, quæ tua eſt modeſtia, ſcribis; voluntas poſtulabat. Nihilominus ita me affecerunt, ut neceſſe mihi fuerit me ad habendam tibi gratiam imparem eſſe. Ago tamen quam poſſum maximas. Tantum abeſt, mi Perpiniane, ut ego vel negligentiæ te accuſem, vel in hujuſce rei confectione diligentiam tuam deſideraverim, ut non modo mihi, cujus cum in rebus omnibus, tum in hujuſmodi exiguum eſt, ac pæne nullum judicium, cumu-

latius, quam vel petere, vel expectare auſus fueram, ſed etiam illi ipſi Stephano Saulio, viro cum primis docto, & doctorum hominum amantiſſimo, cui opus ipſum elaboraſti, ſatisfeceris. Si enim quæ a te etiam aliud agente, gravioribuſque rebus diſtento exeunt, perfecta & habentur ab omnibus, & ſunt, hæc de liberum Græcis, Latiniſque literis inſtituendorum ratione accurate & diligenter a te conſcripta, aliter quam omnibus numeris abſoluta aut eſſe, aut haberi qui poterant? Quare me, qui te antea ſemper plurimi feci, amavi vero tantum, quantum tua virtus jam inde a multis annis mihi perſpecta requirebat, hoc tuo mea cauſa ſuſcepto labore, quem tu, qui omnia fratribus te debere putas, parvum; ego certe, ut par eſt, maximum exiſtimo, ita tibi devinxiſti, ut niſi ego quoque tua cauſa aliquid effecero, beneficij a te accepti immemor eſſe videar. Quare abs te etiam atque etiam obſecro & peto, ut ſi qua in re operam meam neceſſariam tibi fore cognoveris, ad me quamprimum ſcribas. Hoc enim gratius mihi nihil eſſe poterit. Deum optimum, maximum, tibi propitium eſſe oro, atque opto. De rebus noſtris ex Lælio aliiſque intelli-

Digitized by Google

ges. Carolo Urſino meo nomine ſalutem dicito, eumque negligentiæ in ſcribendo accuſa. Vale, & Deum aſſiduo pro me deprecare. Mediolani. Prid. Cal. Febr. M. D. LXV.

Petrus Ioan. Perpinianus Aſcanio Valentinó.

XVII.

LEgi tuas literas, etſi ſerius, ut ais, quam optabas, citius, quam ſperabam tamen, ad me perlatas, in quibus mihi multa fuerunt perjucunda, vel quod ad me tibi ſcribendum eſſe judicaſti, vel quod acute & tam ſuaviter de pietate, de charitate, de voluntatis conjunctione diſputaſti, vel quod memoria noſtri gaudere te ſignificaſti, vel certe etiam, quod aliquid abs me, quod tibi & gratum & utile futurum putares, poſtulaſti. Illud doleo, epiſtolarum, quas petis, exempla eſſe Romæ: ut hinc tibi mitti non ſit neceſſe, cum iſthic deſcribendi facultas non deſit; quod niſi ita eſſet, præclaram equidem nactus eram occaſionem gratificandi tibi. Sed vide, mi Aſcani, ne inanem hanc operam ſumas.

Nam quæcunque erant in illo libro literæ; quem tu reconditum appellas, ego vulgarem, ac pervagatum eſſe intelligo; ſed in illo quæcunque Q. Mario Corrado, vel ad me, vel ad Manutios erant literæ, editæ ſunt jam ab illo, multis aliis cum epiſtolis pereleganter ſane ſcriptis, quarum volumen apud Hamerinum, credo, reperies. Has igitur cum poſſis exiguo pretio brevi emere, tanta cum moleſtia, ſi me audis, non deſcribes: quæ vero erant vel ad eundem Corradum, vel ad Muretum meæ, vel ad me Mureti, eas, quoniam noſtræ te ineptiæ delectant, deſcribito ſi voles. Exemplum Benedictus Sardus habet: is tibi facile, ſi per aliquem petendum curaris, meo nomine faciet tranſcribendi poteſtatem; nam audivi manere illum Romæ: ſi ſecus acciderit, fac ut ſciam ego: ut habeas, curabo diligenter. Vale. Nam Lugdunenſibus de rebus cognoſces ex literis communibus, quas vobis etiam recitari ſolere arbitror. Iterum & ſæpius vale. xv. Cal. Nov. M. D. LXV.

Digitized by Google

Petrus Ioan. Perpinianus cariſſimo ſuo P. Fulvio.

XVIII.

LUgdunenſibus de rebus, & publicis & privatis, & noſtris & alienis; tametſi aliena quæ ſunt, noſtra charitas efficere debet; ſed omnibus tum de rebus, quæ hic geruntur, ex literis ad alios a me datis, cognoviſſe te credo. Nunc alia mihi ad te ſcribendi cauſa nulla eſt, niſi memoria facilitatis & ſuavitatis tuæ, quam equidem pluris facio, quam frontem, & ſupercilium Stoicorum. Nos hic cælo utimur ſatis frigido, ſed hominum animis frigidioribus. auditorum mira paucitas. Nam clerici, quorum nonnihil id intererat, qui locupletiores ſunt, beate vivere; qui tenuiores, rem quærere multo malunt, quam de rebus divinis diſputantem audire. Verum aliæ collegij noſtri partes in dies magis magiſque efflereſcunt. In hoc gymnaſio primum hæreſim natam eſſe dicunt: hinc peſtem illam ad reliquum civitatis corpus permanaſſe. Peſtilentia peſtilentiam ejicit; luem ani-

morum corporum lues : quæ ſedes has nobis vacuas fecit. Speramus fore, ut qua ex officina venenum tam late ſparſum eſt, ex eadem per omnes civitatis venas fundatur ſalutaris medicina. Quid de me futurum ſit, omnino dicere non poſſum. Noſtræ provinciæ præpoſitus ad Paſcha Toloſam ire me vellet : Lutetia ad ſe vocat. Ego neutrum recuſo : ſed Toloſæ Lutetiam, quantum in me eſt, antepono, quamquam vos equidem utrique anteferrem, niſi vos quemvis alium, quam me, multis partibus maluiſſetis. Nunc vero & vobis abſque me bene eſſe gaudeo, & mihi abſque vobis eſſe non male ſpero. Hotomani commentarij in primum tomum orationum Ciceronis hinc tibi poterunt mitti, ſi cum patre Natali egeris, ut ex pecunia, quam P. Edmundo dedit, pretium ſolvatur. M. Benedicto jam dudum copioſiſſimam epiſtolam, quam ille aut non accepit, aut philoſophico ſupercilio contempſit. Benedictum Sardum an theologiæ ſtudia reddiderint graviorem neſcio : meis omnino literis nihil reſpondit adhuc. Ego Bartholomeo noſtro, Pompeio, Bernardino Senenſi, Aſcanio etiam Valentino reſcripſi : ut nemo hoc in me officium deſiderare poſſit. Ad P. Bapti-

ſtam Romanum literas etiam dedi ſane magnis de rebus, de quibus quid actum ſit animo ſuſpenſo ſollicitoque expecto. Tu, mi pater, ne me quæſo patiare carere diu ſolatio literarum tuarum. Mitto nunc neſcio quid literarum Manutio meo : id in eundem cum his tuis faſciculum conjiciam : tuas partes eſſe velim, ne ſit inanis hic etiam labor meus, curare diligenter. Duas enim epiſtolas ad eum ſcriptas, non ſatis a me eleganter fortaſſe, at amanter certe & officioſe, non fuiſſe redditas ex eo ſuſpicor, quod ejus nullam adhuc epiſtolam vidi. Princeps Amvillanus viſit noſtrum gymnaſium valde amice, ſuperioribus diebus. Eſt is filius magiſtri equitum, quem comitem ſtabilem modo vocant, unus ex omnibus maxime animatus & paratus ad reſiſtendum hominibus cupidis novarum rerum : quem rex oræ maritimæ Galliæ Narbonenſis præfecit. Cum igitur hic iter haberet ad regem, viſit perhumaniter gymnaſium noſtrum : ad cujus adventum luſerunt paucos verſus Rhodaneides noſtræ, veſtris Tiberiadibus longe ſane inferiores. Verum auſæ ſunt aliquid tamen non modo canere, ſed Romam etiam uſque mittere. Id epigramma ſi curaris, ut inter ſe Pompeius Bar-

tholomæus, Mariuſque ſortiantur, rem mihi gratiſſimam feceris. Patri Annibali jucundiſſimæ fuerunt imagunculæ a te miſſæ: ſcripſiſſet ipſe aliquid, niſi tam cito fuiſſet Toloſam profectus. Mihi diſcedens mandavit, ut pro ſe tibi gratias agerem quam ſuaviſſimis verbis. Tu vero, mi pater, plurimam ſalutem primum P. rectori, deinde iis, quos antea nominavi, tum Laurentio Romano, Fabricio Neopolitano, Joanni Parmenſi, quos arbitror a me ſuperioribus literis fuiſſe præteritos; denique omnibus, quibus non ingratum fore cognoſces. Vale, Deumque pro me aſſidue deprecare. Lugduno. III. Non. Febr. M. D. LXVI.

Cognomen non memini: diſcam ex primis literis tuis.

Fulvius Cardulus Petro Ioan. Perpiniano.

XIX.

QUo loco apud me ſis, non puto te dubitare: &, ſi dubitares, vel id tibi poſſet animi dubitationem jam tollere. Epiſtola tua, quam nuper accepi, ita me to-

tum exhilaravit, ut viderer mihi penitus immutatus: eram viribus attritus, angoribuſque confectus, & uſque adeo æger, ut vix apud me eſſem. Hujus ægritudinis cauſam ſi ſuſpiceris, non multum errabis. Quid quæris? perlecta epiſtola, ſtatim ad me redii; & ſedata illa tempeſtate, non priſtina ſolum rediit tranquillitas, ſed mirifica quædam &, vere ut dicam, inſolens acceſſit lætitia; & nova voluptate perfuſus, relegi ſæpius: delectabar enim humanitate, ſuavitate benevolentiæ, officio amiciſſimi hominis, ingenio, urbanitate, judicio doctiſſimi viri, & denique elegantia & venuſtate, & dignitate verborum in utroque orationis genere ſingulari. Itaque non poteram de manibus ea deponere, modo epiſtolam, modo epigramma repetens, aliiſque oſtendens. Salutavi tuo nomine quos oportuit, hoc eſt, non ſolum quos nominaſti, ſed etiam quibus te charum eſſe intelligo. Muretus ex tua in Galliam profectione, quam ex his diebus audivit, ut magnam & admirationem & voluptatem, ita ſpem non mediocrem concepit fore, ut tua opera, atque induſtria ſocietati noſtræ auctoritatem, catholicæ fidei & religioni adjumentum, & Galliæ regno afferat utilitatem. Idem & ſentit, & di-

cit Manutius tuus, tuus, inquam, magis quam noſter, cujus literas, quas a te deſiderari ſcribis, puto ad tuas manus jam perveniſſe. Ego certe mihi ab illo commiſſas domi dedi quamprimum mittendas. Huic etiam ſalutem tuis verbis dixi, cum valetudinis cauſa jacentem in lecto viſerem. Per interregnum pontificium a populo Romano ædibus juſſus excedere, Burgum migravit, ubi perpetuam cogitat habitationem comparare, veritus, ut opinor, hujus levitatem atque perfidiam, & ſi quemadmodum novus pontifex, qui ex hac arce inſperati pontificatus, quaſi ſignum aliquod ad bene ſperandum de certa regione ſuſtulit, nondum ſtatuit, utrum velit ejus opera uti atque induſtria, ſic ipſi Manutio vel manendi, vel abeundi incerta eſt oratio, incertumque conſilium. Aldus eſt Venetiis, & propediem juſtos & abſolutos patris in Cicer. epiſtolas fam. commentarios excuſos dabit. De me novi quid ſcribam nihil eſt: tibi nota ſunt omnia: ſemper ego ſum Fulvius: quid dicam, optime tenes. Pridie cineralium acta eſt, ut aſſolet, in collegio Germanico tragœdia divæ Catharinæ virginis & mart. tanta optimatum frequentia, & approbatione, quantam meminiſſe non videor, quamvis & rei dignitas

Digitized by Google

& actorum indoles atque induſtria, & ſcenicus apparatus, tantum, quantum dici vix poſſit, viros & callidos & doctos delectarit. Cupimus per Petrum Perpinianum, aliquid ad nos tranſmitti ex officina Vanegæ noſtri. OrationemParaſceves ad novum pontificem habiturus eſt Joannes Majorius. Recuſavi inſtanter delatam provinciam. In meo gymnaſio mirum frigus, cum auditores habeam vix triginta. Ego vero paucioribus etiam eſſem contentus: Cetera tam ſuperiorum, quam inferiorum ordinum, frequentiora quam ſolebant. Fuit his decem diebus in collegio P. Generalis, & allocutus eſt ſingulos ſeparatim, & heſterno die antequam domum rediret, nocturna oratione univerſos ad pugnam cum domeſticis hoſtibus, & ad reportandam de ſe ipſo victoriam eſt adhortatus. Reliquarum rerum ſtatus is eſt, qui erat ante tuum diſceſſum. Illud non prætermittam,ad ceteras occupationes meas illam quoque duriſſimam ſane mihi moleſtiſſimamque provinciam acceſſiſſe, diſciplinæ Chriſtianæ tradendæ in templo D. Nicolai in carcere Tulliano. Rides? ridebo & ego, etiam ſi mihi videar in hunc miſſus carcerem, ut cum Lentulo ſtrangulér. Eſt proximum forum prope theatrum Marcelli,quod diebus

feſtis ruſticorum frequentia compleri ſolet: hos ne precario quidem poſſum habere auditores. Pecunia, ſi eſſet, ad conciunculam conducerem, ne domum reverterer infecto negotio. Hæc ſcribo, ne ſolus de auditorum paucitate queraris: plura non addam, ne aliis materiam videar adimere voluiſſe. Vale, & valere jube meis verbis VANEGAM, literis majuſculis: puto enim, ni tua me fefellit epiſtola, te has literas Lutetiæ accepturum. Iterum vale, meque tui amantiſſimum, ut facis, ama, ſeu potius dicam redama; & niſi moleſtum eſt, plurimam ſalutem reverend. P. Oliverio præpoſito dices. Romæ. VI. Cal. Aprilis, *1566.*

Illud pæne exciderat, P. Michaelem Angelum Tuſculi nudius quintus, Julium Romanum, qui nuper ex Sicilia Romam redierat, in collegio noſtro nudius tertius ad immortalem & cæleſtem beatitudinem deceſſiſſe.

Petrus Ioan. Perpinianus Bartholomæo Rom.

X X.

HOc eſt diſcipulum eſſe, mi Bartholomæe, hoc amare, & obſervare docto-

rem eum, qui etſi nihil te docuerit, tamen multa fuerit docere conatus; non multa promittere, & magnifica loqui, nihil eorum, quæ promiſeris, re ipsa præſtare. Quid non mihi proficiſcenti ceteri auditores mei, qui vel etiam erant vel aliquando fuerant, pollicebantur? quid me ſperare non jubebant? vix equidem temporis mihi ſatis futurum arbitrabar ad eorum literas legendas, aut & ad inſcriptiones ipſas inſpiciendas. At tertius hic menſis eſt a profectione mea, neque cujuſquam, niſi tuas & Pompeii, literas adhuc vidi. Fateor jure me nondum queri poſſe: præclaram eos in ſpeciem excuſationem habere non nego: hoc eos video dicturos; nondum ſe, cum iſthinc noſtri diſcederent, de meo ad hanc urbem adventu quicquam accepiſſe: ne tu quidem & Pompejus perveniſſe me huc necne cognoveratis. Patiantur igitur charitati ſuæ eorum charitatem anteponi, qui ut de me aliquid audirent, expectandum ſibi non eſſe duxerunt. Accepi quidem a Benedicto, accepi ab Andrea, pauca quædam verba, ſed ea ſitim magis intenderunt meam, quam extinxerunt. Verum hoc ſcribo ludens, & ridens, quamquam quid prohibet ridentem dicere verum? ſed ſcribo tamen hæc per lu-

dum atque jocum : non enim dubito, quin omnibus multo ſim charior, non quam veſtra voluntas tam officioſa fert, ſed quam patitur difficilis ac moroſa ſenectus mea. Serio quæ reſtant : miſſos faciamus jocos. De tua valetudine, jam ab aliis acceperam, & pro eo ac debebam, dolueram vehementer : verum, tametſi dubium non erat eo te animo a Deo accepiſſe morbum illum, quo res adverſas omnes a leniſſimo patre accipi par eſt : ſi tamen res adverſæ illæ dicendæ ſunt, quæ tantum hominibus apportant boni : ſed humano more loquimur, licet divinitus ſentiamus. Sicut valetudine tua cognita humanitus dolebam, cum a divina voluntate non diſcreparet voluntas mea; meliuſcule tibi eſſe valde ſum gaviſus, & nunc optime tibi jam eſſe ſpero. Prima illa epiſtolæ tuæ verba, *etſi imbecillitas mea, quam diuturnus mihi morbus & moleſtus attulit, calamum digitis tenere non ſinit* : non poteſt credi quam varios in pectore meo ſenſus uno tempore concitarint, amoris, doloris, timoris, ſpei, præſertim cum literulæ vacillantes adhuc fidem facerent orationi tuæ. Quis enim non amaret eum, quem tanta debilitas a ſcribendo non deterruiſſet? quem vero vehementer amaret,

eum quis non magnopere doleret tam periculoſe ægrotaſſe? porro quem & valde amaret, & in morbum tam gravem doleret incidiſſe, ne is relangueſceret, quis non timeret? quem autem ad ſcribendum non nihil habuiſſe virium videret, eum profecto confirmatum iri, præſertim cum valde cuperet, non ſperare non poſſet. Ea enim ſperare ſolemus, quæ valde optamus. Alia mihi multa in literis tuis gratiſſima fuerunt, vel quia illuſtrem habebant voluntatis erga me tuæ ſignificationem, vel quod eo ipſo tempore ſcriptæ a te fuerant, quo ego tempore in via morbo graviſſimo tenebar, vel quod diligentem & accuratam continebant Romanarum rerum expoſitionem. Ego etſi parem tibi gratiam referre non poſſum, experiar tamen, an aliquid, quod te jure delectet, poſſim afferre: ac de Lugdunenſi gymnaſio ſcribam paucis. Ædificium ipſum publicum eſt, ad juventutem inſtituendam excitatum, Deo trino & uni conſecratum, ex quo gymnaſium Trinitatis appellatur: ut hoc ipſum præſagiſſe, ac prædixiſſe videatur ille bonus vates, qui de me ſcripſit, *Hic jacet orator ſanctæ Trinitatis amator*: ſed ad rem redeo. Eſt igitur hoc noſtrum gymnaſium Trinitatis, ab initio erudiendæ juventuti

tuti

tuti dicatum, ob eamque cauſam, per quam accommodatum nobis: atque ut a rebus magis neceſſariis exordiar, cella penaria, culina, cœnatio, ſunt inter ſe hoc ipſo ordine conjunctæ, ut inter cœnationem & cellam penariam ſit media culina. Apte ad uſum vides: immo non vides, ſed cogitas: melius autem cogitares, ſi vidiſſes. Sunt hæ tres partes ampliſſimæ, pulcherrimæ, laqueatæ, quales vos iſthic habere vellem. Cella vinaria ὑπόγειον eſt, cœnationi pari magnitudine ſubjectum. Cubicula dormitoria ſatis ampla ſunt, & nobis nimis multa, qui duodecim tantum ſumus, & convictores externi totidem vel paulo amplius, ac inter eos nonnulli ex principibus familiis hujus urbis. Intra cubicula vero more Gallico bibliothecæ ſunt, ſeptæ tabulis ac tectæ, longæ novem aut decem palmos, latæ ſeptem, aut octo; altiores aliquanto, quam longiores, veluti cubicula quædam parva majoribus incluſa. Intus menſa eſt: circumcirca tablina bene diſpoſita: ut anguſto in loco, vel ſatis multos libros pulchre ſcriptos habere liceat; & legere, ſcribere, meditari, quæ velis. Huc nos abdimus, quo ardentioribus, non animis modo, verum corporibus etiam in literas incumbamus. Nam hic, mi Bartho-

K

lomæe, nihil eſt neceſſarium magis quam ardor, non tam animorum, quam corporum. Potes hoc mihi credere experto. Videbat hoc ille ſane, qui in cubiculo omnium maximo, & ornatiſſimo, quod videtur fuiſſe gymnaſiarchæ, nunc eſt P. Edmundi, cum ejus parietes pingendos curaret, inſcribi juſſit: *intus vinum, foris ignis.* verum ille fortaſſe erat in corporea demerſus: nos, quorum conſilia in ſempiternum tempus ſpectare debent, melius imperaviſſemus inſcribi, *intus preces, foris labor.* Quæ duæ res perficiunt facile, ne vim frigoris nobis pertimeſcendam putemus. Exedræ quinque ſunt, in quibus juvenes docentur. ex his, quæ rhetorum, & theologorum eſt, ornatior eſſe mihi videtur, quam veſtræ. Atria duo, & in altero puteus bonæ aquæ, quam veriſimile eſt per terræ venas, a proximo flumine occulte derivari. Cum enim hæc urbs partim inter duos amnes maximos, Rhodanum & Ararim, in longitudinem porrecta ſit, gymnaſium Trinitatis eſt in media longitudine, ſed in latitudine extrema ad Rhodani ripam conſtitutum. Itaque ex atrio, adeoque ex cubiculis pleriſque patet pulcherrimus proſpectus amnis, qui tanta celeritate fluit, ut cum fluat per loca æqua,

hinc uſque ſonitus exaudiatur. Cymbæ ſurſum deorſum navigantes: latiſſima æquora camporum vicinis Alpibus terminata. Ex turre vero, quam altiſſimam habemus, non hæc cernuntur ſolum, ſed omnia etiam ædificia, omneſq; viæ urbis. Quare ſi quando huc veneris, magis timendum tibi eſt, ne quod edas, quam ne quod videas, deſit. Quoties ego in pergula inambulans, & intuens in Alpium juga, matrem ingeniorum, & artium Italiam, parentem religionis Chriſtianæ Romam, domum patrum, veſtrum gymnaſium, denique vos omnes mihi videor intueri? quoties mihi venit in mentem illud canere Melibœi Virgiliani carmen: En unquam, non jam patrios, ſed Latios longo poſt tempore fines; neque pauperis & tuguri congeſtum culmine tectum, ſed, & veteris Romæ ſurgentia marmore tecta, poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas? Quamquam non tam me Romana tecta movent, quam vos, quos Romæ reliqui, ac præ ceteris P. Fulvius qui, cum anguſte pateat, totus eſt humanitatis, ac ſuavitatis plenus. Verum urbis deſiderium, & veſtri, cæleſtis civitatis expectatione ſuperatur, ubi ſpero, quæ Dei bonitas eſt, nos omnes, pariter fruituros beata & immortali vita, ad

quam nos perducat; dicere volebam. Sed tu, mi Bartholomæe, valetudinem tuam cura diligenter, & ad nos aliquando, ſi poteris, hoc eſt, ſi per P. Rectorem id facere licebit, aliquid ſcribere, ne quæſo grave & moleſtum putes. De morte patrum Angeli, & Federici cognovimus, & pro eis inſtituto noſtro ſacra fecimus, aliquando & quidem, ut ſpero, brevi idem a vobis beneficium accepturi. P. Rectorem, & P. Fulvium jube plurimum ſalvere. Adjunge P. Clavium, & P. Joannem Majorium. P. Baptiſtam Romanum, & ceteros. P. autem Baptiſtam Rom. admoneri velim me ad eum ſcripſiſſe, de illo amico noſtro: quid autem ſit actum, ſcire vehementer optare. Vale & pro me Deum tuis precibus perpetuo placa. Lugduni, VIII. Cal. Decem. M. D. LXV. alia multa cognoſces ex literis, quas cum tuis ad Pompeium dabo. Tu viciſſim hæc cum illo communicato.

Petrus Ioan. Perpinianus Benedicto Sardo fratri ſuo cariſſimo.

XXI.

QUam mihi jucunda fuerit brevis illa tua ſalutatio, ſi me noſti, pluribus di-

cere non eſt neceſſe: ſi nondum ſum tibi ſatis notus, etſi verbis exaggerem, non credes. Illud mihi præ ceteris gratum fuit, quod addidiſti, ſperare te mihi bene eſſe atque in dies melius futurum: nam præſagiſſe mihi viſus es id quod evenit. Hanc autem ego præſagitionem apertiſſimum indicium eſſe duxi ſummæ obſervantiæ & caritatis erga me tuæ. Quid illud ſit quod evenit, & accepiſſe te credo communi fama atque ſermone, & ex literis quas ad P. Benedictum Pererium dedi, cognoſces: nam omnem ei rationem itineris mei copioſe perſcripſi. Tibi vero, mi Benedicte, memor officiorum tuorum, quibus meam ſenectutem ſæpe recreaſti, quandam aliam ἱστορίαν componere decrevi Lugdunenſium rerum ab adventu meo, quam ſpero & tibi, & aliis quibus aliquando charus fui, non mediocrem voluptatem eſſe allaturam. Ut igitur Lugdunum veni 14. Cal. Oct. paululum ex illo morbo recreatus, qui me Camberiaci valde afflixerat & debilitarat, dedi valetudini duos, aut tres dies: cum interdum tamen quid mihi dicendum, & agendum eſſet, cogitarem. Ad munus mihi delatum perfungendum, exiſtimavi orationem ante omnia a me haberi oportere, qua Lugdu-

nenſes meos ad veterem religionem retinendam, & rejiciendam falſam recentiorum hæreticorum doctrinam adhortarer. Hoc enim argumentum & gravitatis multum habere mihi viſum eſt, & ad officium ſuſceptum accommodatum, & cum aliquod doctrinæ ſpecimen habere, tum auditoribus nonnihil utilitatis afferre poſſe. Itaque re cum P. Edmundo communicata, x. Cal. Octob. commentari cœpi, & ſcriptitare: noſti hujuſmodi in rebus laborem meum: ſcis quantum contendere ſoleam, ne orationem inanem videar afferre. Tum vero accedebant multa, quæ mihi permoleſta erant, valetudinis infirmitas, temporis exiguitas, ignoti civitatis mores, ad quos niſi apta eſſet oratio, & ad hominum ſenſus accommodata, fruſtra me laboraturum intelligebam. v. Non. Oct. in cœnatione gymnaſii noſtri, quæ ampliſſima eſt, & pulchre laqueata, detractis ante menſis, diſpoſitiſque ſubſelliis, hora poſt meridiem circiter tertia, dixi magna hominum frequentia, duodecimo die poſtquam meditari cœperam. Adfuit archiepiſcopus, qui mirifice diligit ſocietatem noſtram & admiratur: adfuit prætor, quem archiepiſcopus invitarat. Hos cum duos civitatis principes adfuiſſe dico, exi-

Digitized by Google

ſtimare debes omnes tum ex clero, tum ex populo vel doctrina, vel nobilitate, præſtantes viros interfuiſſe: ut etſi multi ſederent, multi ſtarent, & confertiſſima multitudo hominum audiret, non tam numeroſus tamen ille conventus, quam gravis & honeſtus videretur. Agendum mihi fuit mollius, quam vel meum ingenium ferebat, vel magnitudo rei poſtulabat: ſunt enim adhuc exulcerati animi multorum, ac ne cicatrices nondum obductæ renovarentur, providendum erat. De veteri tamen Lugdunenſium gravitate, & conſtantia, & religione, & novitate iſtorum hominum, & levitate ſatis multum verborum feci, neque eos tam exagitavi oratione, quam ſententiarum gravitate fregi. In extrema vero peroratione, archiepiſcopum, & prætorem præſentes appellavi, quæ partes ipſorum eſſent commonefeci, & ad defendendam veram religionem ſum adhortatus, atque ad hoc collegium tuendum, unde cernerent tanta pietatis adjumenta civitatem univerſam eſſe accepturam. Hæc, & æquis, & vero etiam lætis animis audire omnes viſi ſunt, niſi ſi quis forte aderat illis hæreticorum præſtigiis omnino captus: quod & ſilentium tantum quantum me videre memini, & omnium ora at-

que oculi in me unum intenti facile declarabant. Narravit unus e noſtris quendam, cum paulo antequam initium dicendi facerem ei ſedes oblata eſſet, dixiſſe, audire ſe velle pauca, deinde abire: eum vero poſtea ſtetiſſe uſque ad extremum verbum: quod ille qui narrabat orationis jucunditati tribuebat, ego ſtultitiæ adſcribo, quæ fecit ut ſtans audiret omnia, quæ ſedendo minore cum moleſtia potuiſſet audire. Archiepiſcopum ipſum dixiſſe aiunt eam orationem Gallico ſermone explicari, & in vulgus edi oportere: libet enim mihi ad te ſcribenti garrire, etiam ea, quæ nemini a me ſcribenda putarentur. IV. Non. pauca quædam præfatus, ad explicandum quod mihi propoſueram ſum aggreſſus. Non ſucceſſit tamen ut optabam: ſæpe mihi diſplicui in docendo, ſed quam eo die, nunquam magis. Verum non tam audientibus video diſplicuiſſe quam mihi: præfationem ipſam in hanc epiſtolam includam, ex qua mei conſilii rationem intelligas. Non deſpero poſſe fieri, ut orationem etiam aliquando habeas: per me certe non ſtabit. Altera ſchola dedi operam, ut illam ſuperioris maculam delerem. Conveniunt plerumque 22. audiendi cauſa. Ternas habeo ſingulis hebdomadis ſcholas. Quantum intelligere

potui delectantur. Hunc aiunt archiepiſcopum imperaſſe clericis, ut frequentent gymnaſium noſtrum, & librorum divinorum explicationem audiant. Quare ſperamus majorem in dies concurſum factum iri. VIII. Cal. Novemb. ipſe archiepiſcopus viſit gymnaſium noſtrum: venit debita hora, paulo ante id tempus quo ſoleo dicere. Sed patientiſſime totam horam, & me quam diu loqui volui, libenter, ut vultus indicabat, & attente auſcultavit. Nactus eram locum, & copioſum, & illuſtrem, & nonnulla etiam doctrinæ, tum varietate, tum ſubtilitate, reſponſum: exultavit in eo, & triumphavit oratio mea: quocirca inſtitui deinceps non prandere, niſi re confecta. Grammaticorum, rhetoricorumque ordines augentur in dies numero puerorum, quibus ego quotidie facio rem divinam. Habes de me quæcunque ſcire cupiebas: de publica religione, deque gymnaſio nobis a civitate commiſſo, alias ad literas reſervabo. Petro Mingotto illi, illi Valentino meo, illi valetudinarii veſtri, aut præfecto aut miniſtro dic multam ſalutem meis verbis: quem primis literis fuiſſe prætermiſſum in tanto numero non eſt mirum. Ab Andrea mihi miſſa per patrem Pioneum ſalus fuit mihi

jucundiſſima : tu referes ei plurimam a nobis. Patti Georgio, Joanni Vulfungo, Antonio Germano, & quem primum nominari oportuit, magiſtro Clavio mathematicorum principi & duci, meo veteri ſodali multam. At tu mi Benedicte, ſemel atque iterum & tertio & ſæpius vale, neque Deum pro me precari ceſſa. Nam exciderat Marcus Antonius. ei igitur quantam maximam volet accipere ſalutem, nuntiato. Nullus erit exitus, niſi epiſtolam uticunque concluſero. Vale. Lugduni. III. Non. Novemb. M. D. LXV.

Petrus Ioan. Perpinianus Pompeio Maſſarello fratri ſuo chariſſimo.

XXII.

MIra mihi narrant literæ tuæ, III. Cal. Jan. ad me datæ : tantumne tibi ex epiſtola mea lætitiæ lumen obortum eſſe, ut ex nocte repente fecerit diem? Bencij noſtri nihil adhuc vidi. Effluxiſſe mei memoriam ex ejus animo nunquam credam. Neaopolæonem pauca polliceri mallem, multa præſtare: ſi quid tamen ad nos aliquan-

Digitized by Google

do; pergratum erit. De Mancino exitum expectabo. nam ſi valetudine utebatur, ut ſcribis, bona, quid illud ſibi vult, ut ejus valetudini conſuleretur? an forte confirmari magis voluerunt? exitum, ut dixi, expectabo. Lugdunenſem orationem legiſſe te arbitror. Quod futurum aliquando ſperas, ut hic ſis; etiam atque etiam vide ne te fallat Bartholomæo miſſa πτοχαφία. Etiam nunc Martio pæne extremo Jupiter non jam hybernas, ſed prope dicam æſtivas, certe vernas cana nive conſpuit Alpes, totumque Lugdunenſem agrum, & urbem. Itaque optamus interdum circumire in melotis & pellibus caprinis. P. Vincentio recte ſemper eſſe cupio. P. Michaelem aliquantulum eſſe recreatum gaudeo. P. vero Baptiſtam fere a ſepulcro fuiſſe revocatum, quis non lætetur? P. Curtio meliuſcule eſſe per mihi jucundum fuit: brevi, ſpero, recte eum valere audiemus. De ſchola deque magiſtro veſtro, quæ Andreæ ſcripſi proximis diebus, eadem tibi nunc dici a me exiſtimato. Condiſcipulorum tuorum verecundiam, quæ officium, ſi minus debitum, certe honeſtum tollat, non probo; ſive ſermonis elegantis, ſive familiaritatis nimiæ reprehenſionem pertimeſcunt. Tu mi Pompei, ne moleſte, quæſo, patiare

nonnihil a me in ſuperioribus literis tuis fuiſſe notatum. Quorum enim ego ſcripta ejuſmodi eſſe video, ut non niſi una perpetua litura emendari poſſint, in his nihil immutare malo, quam omnia delere. Epiſtola vero tua, quam mihi probabilis viſa ſit, vel ex eo cognoſces, quod tam levi eam opera putarim fieri poſſe meliorem. Inchoatam illam orationum in Verrem explicationem, tantum abeſt, ut corrigere ac perficere licuerit, ut ne potuerim quidem videre. Eam tibi reddet Marcus comes P. noſtri Generalis. Quod autem tam diu carueris libenter ea, mea cauſa, cogita non apud ingratum hominem, id abs te officium fuiſſe collocatum. Peregrinationem tibi nunc quandam meam breviter explicabo, & navale prælium ab uno homine Hiſpano cum multis Gallis in Rhodano commiſſum: ut jam homines dictitare deſinant, ne Hercules quidem adverſus duos. Non multis ante Cal. Martij diebus amne ſecundo Turnonem navigavi, ubi gymnaſium noſtri habent ſane magnifice ædificatum: ſed cum extra urbem ad confluentem Rhodanum in ripa jacerem ſolus, nautarum moras vix ferens; ecce duo aſſiſtunt ex familiis publicanorum, quas in portubus, & cuſtodiis habent, qui cum eſ-

Digitized by Google

ſent ipſi optimarum partium, me vero diverſæ factionis hominem nuper Gebennæ delatum arbitrarentur; ita miſerum & verbis, & factis acceperunt, ut me nunquam meminerim contumelioſius fuiſſe tractatum. Tam bonis initiis ſperare cœpi mihi profectionem illam non tam jucundam, quam fructuoſam fore. Tandem aliquando ſolvimus: cum adveſperaſceret, unus de vectoribus, militari habitu, cujus apud omnes maxime valere videbatur authoritas, recubuit ad meos pedes, ubi me Hiſpanum intellexit eſſe, & Hiſpanice conqueri cœpit libros divinos in ſermonem Hiſpanicum non eſſe converſos: quidam vero ex ejus comitibus Gebennæ reperiri dixit: magnam hæc mihi ſuſpicionem attulerunt. Verum nolui diſcordiarum materiam præbere: in Hiſpania, dixi ſacros libros extare vulgari ſermone explicatos: non addidi, multitudinem imperitam his legendis prohiberi. Hinc ille repulſus, aliam ſibi muniebat viam. Familiarius mecum depravatos eccleſiæ mores querebatur: ut ſuſpicari quivis poſſet nolle eum hæc ab aliis audiri, cum nonnulla ab ipſo ut arbitror ficta, narraret. Non militem aliquem, ſed Baſilium aliquem, aut Chryſoſtomum

Digitized by Google

eſſe dixiſſes : ego ſimpliciter, & recte ; cum illa ſi fierent, recte fieri negaſſem, illud adjiciebam, liberos decere, parentum peccata, ſi qua eſſent, non indicare aliis, ſed occultare : in quo demonſtrando cum uterer illuſtri Noechi filiorum exemplo, geſtu ipſo declaravit, ægre ferre ſe tam firmum argumentum ex literis nos divinis habere. Eo die ſic diſceſſimus, ut levi prælio facto nondum ipſe ſtatuere auderem, hoſtem illum eſſe. De eo ſuſpicabar magis, qui de bibliis Gebennenſibus antea non rogatus reſponderat. Poſtridie bene mane quidam e nautis ; nam illi recte de religione ſentiebant ; Calvinianum illum & Calviniani exercitus in ſuperiore tumultu ducem fuiſſe me docuit, alios eſſe ex eodem numero ad ſeptem vel octo. Pœnituit me certe lenitatis meæ, & conſtitui, ſi quam rurſus ipſe ſui faceret poteſtatem, licet eſſem ſolus, juſtam pugnam non recuſare. Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſq; movete. Iam aliquantum proceſſeramus, cum ille idem de corruptela morum ſermonem induxit, qui cum palam noſtros antiſtites inſectaretur ; at, inquam ego, video deteriores eſſe, qui ſe profitentur eccleſiæ correctores. Hoc ille unico verbo percul-

ſus obmutuit : nam ſe ſuoſque peti ſenſit, qui ſuum illum impuriſſimum gregem eccleſiam reformatam vocant. Magnum aliquandiu ſilentium fuit. Poſt illi ſuos Marotticos pſalmos canere cœperunt. Nauta forte quidam geſtu cantum illum non ſibi probari ſignificavit, cui unus Calvinianorum, hæc ipſa, inquit, carmina veſtri ſacerdotes, Davidis pſalmos putant, cantantque in templis : cumque pluribus verbis nautæ, ignaro rerum, ſuos illi pſalmos probare conaretur : canunt, inquam ego, noſtri ſacerdotes Davidis pſalmos in templis, verum ſinceros atque integros, non a Marotto veſtro corruptos. Hinc gravis de myſteriis orta contentio, quæ magnos utrinque clamores excitavit. Cum ex evangelio Lucæ me demonſtraturum eſſe pollicerer, Chriſti carnem, & ſanguinem, corporei panis & vini ſymbolis contineri, librum quem habebant mihi dare noluerunt : intuere, inquit ille dux, Viretti vitam, reſpice aliorum mores, quid ſimile reperies tuorum ? Virettum nominare, inquam, audes ? Ego vero iſto de homine longam hiſtoriam poſſem componere, ſi liberet. Quos, inquit, theſauros, quæ vel urbana vel ruſtica prædia, quæ tecta mar-

morea Calvinus reliquit? Quid, inquam, ille reliquerit, neſcio: Virettum ſcio, cum filiam in matrimonio collocare vellet, multa Lugduni millia nummum aureorum inveniſſe. Pergebat nominare Calvinum, & ego, diſrumpine, inquam, apud inferos, cùm refloreſcere ſentit veterem diſciplinam, lolium autem a ſe diſſeminatum exareſcere? apud inferos, inquit. Qua enim, inquam, alia in regione furiam illam verſari credam? In his ille ſic exarſit, aliquando ut timerem, ne me in fluvium præcipitem impelleret: quod facili momento, cum primus in extrema prora ſtarem, efficere potuiſſet. Itaque cum mihi veniſſet in mentem de Viretti auriculis inchoare, continui me tamen ne furentem militem vehementius incitarem: ſed Marotto non peperci cum ſuorum ſanctitatem illi magnifice jactarent: quid, inquam, accidit Marotto, ut palam Gebennæ cæderetur loris? Deliquerat, inquit unus, quid mirum? ſcilicet, inquam ego: veſtri iſti rabulæ nunquam, inquam, peccant: at vos ejus pſalmos decantare non pudet: alius, ex nova ſcilicet recentium Stoicorum diſciplina, diſputabat, unamquamque rem licet turpiſſimam ſuo nomine appellari oportere, atque ita ipſe loquebatur: tum ego,

ego, ubi Paulus, ubi evangelia tantam ſibi licentiam permittunt? Paulum ipſum contra præcipientem audio. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium*, &c. ſed Calvinianum evangelium fortaſſe laudat, quod apoſtoli vetant. Idem monachos aiebat eſſe Romæ, ad Minervam, cærulea veſte, quos cuculatos affirmabat nominari. Ego vero cuculatos vidi, & apud eos aliquando fui, ſed neque ad Minervam habitant, neque amictu cæruleo utuntur. Non te pudet, qui evangelium ſemper in ore habes, tam impudenter mentiri? quid, inquit miles, refert, ubi illi degant, aut qua tegantur veſte? nihil, inquam, refert, verum illud permagni intereſt, mentiatur, nec-ne religionis emendator: niſi forte per Calvinum licet aperte mentiri, &, quod non videritis, dicere vidiſſe. Alia multa ultro citroque jacta ſunt tela: ſed mihi ſcribendi finem facere neceſſe eſt. De profectione mea Pariſienſi plura, quam me ipſum, vos ſcire credo. Doleo quod non tam facile potuerunt noſtræ literæ commeare. P. Fulvio ſcripſi. P. Ledeſmium abeſſe arbitror. PP. Riſciolo, Michaeli Angelo, Achilli, præterea Nicolao Sardo, Volfango, aliiſque omnibus, ac

L

Digitized by Google

præcipue Perufinis noſtris dic plurimam ſalutem. Quæ meus Valentinus adſcripſit ſua manu, mihi jucundiſſima fuerunt: age s ei pro me gratias. Bernardinum Merendam miror tacere tam diu; tantine fuit alicui veſtrum mandare, ut mihi adſcriberet ſalutem. Vale, mi Pompei, tuiſque piis precibus me adjuva. Lugduno, prid. Cal. April. M.D.LXVI. Pater Gulielmus hujus collegij rector te Iacobumque Godanum multum amat, & ſalvere jnbet.

Petrus Ioan. Perpinianus Pompeio Maſſarello.

XXIII.

BArtholomæus Romanus uno prope menſe te poſterius literas ad me dederat; ſed ea PP. Guidoni & Poncio qui ferebant, acciderunt, ut multis diebus ego priores acceperim tuas. Quam mihi fuerit jucundum officium utriuſque veſtrum, ex iis quæ ad illum ſcripſi, cognoſces. Quamquam & tuæ, & illius me literæ nonnihil commoverunt. nam perinde quaſi natus ego eſſem vel in Alpium, vel in Caucaſi jugis, & inter lupos, aut etiam leones educatus, ita uno conſenſu ambo meæ vel diligentiæ, vel benevolentiæ,

quam erga vos habeo, diffidebatis; me ut oraretis, ne vobis aliquando ſcribere gravarer. Quid? adeone inhumanus, & ferreus erga vos fui, verendum ut eſſet ne me veſtra officia parum moverent? non agam vehementius: non committam, ut in illud ipſum vitium, cujus a me opinionem removere ſtudeo, videar incidiſſe. Sic habetote, injuriam arbitrari me fieri maximam conſuetudini meæ, ſi quis cum ad me ſcribat, ut reſpondeam petat. De M. Paulo melius ego rem antea cognoram, cum Parmæ jam eſſet, inde uſque fuiſſe revocatum. De Neapolione equidem gaudeo ipſius cauſa; nam optime cupio ejus & ingenio, & pudori: ſcripſerat jam antea mihi P. Gabriel ex literis ipſius iturum Romam, & in collegio Germanico futurum. Id ſi ita eſt, amabo te, mi Pompei, puero meo nomine gratulare. Manutij memoriam a te fieri, principio miratus ſum: ubi vero de divinatione quam ei promiſeram legi, Peruſinum artificem cognovi: dabo operam, ut utrique faciam ſatis. Quod ſi aſſequi forte non potero, ne time, tua tibi ſcripta reddenda curabo diligenter. Scis quam me delectet hoc ſtudium in auditoribus meis, quæ a me acceperunt, conſervandi. Claſſis Turcarum ſi tam facile victa a nobis eſſet, quam tu breviter

Digitized by Google

ab inſula diſceſſiſſe ſignificaſti, non tam multos milites amiſiſſemus. Ta tamne tu rem uno verbo? non quibus copiis, ducibus, præliis pulſa eſſet, quam noſtri jacturam feciſſent, quam illi, quid deinde conſecutum eſſet, quid expectetur, addidiſſes? nam hic quam nihil audiamus, incredibile dictu eſt. Itaque qua ratione tanta res tranſacta ſit nondum ſatis ſcio. P. Baptiſtæ Veneto magis timere cœpi, poſteaquam pro patribus Angelo, & Federico ſacrificare juſſi ſumus. Habes ad tuas literas, quæ mihi venerunt in mentem. Accipe nunc Lugdunenſibus de rebus pauca, quod optabas. Quanta ſit apud omnes orthodoxos auctoritate P. Edmundus, dici non poteſt. Exigit ab omnibus officia virtutum, tanquam pro imperio & poteſtate, omneſque res, eccleſiaſticæ præſertim, ab ejus unius ſententia pendent. Quo factum eſt, ut quod eſt omnibus nobis in Gallia Germaniaque commune nomen, id ei tanquam proprium attribuatur, & *Ieſuita* vulgo κατ' ἐξοχὴν appelletur. Eram aliquando cum cive quodam nobili in atrio noſtri gymnaſij, qui me audierat ſacras literas interpretantem. Ecce tibi adoleſcens adeſt cum literis: eſſetne domi Ieſuita; quærit à nobis. Nos viciſſim, velletne P. Edmundum convenire,

ſciſcitamur. Negare ille; dominum Ieſuitam ſe quærere, dicere. Donec nos cognito nominis errore dimiſimus, polliciti literas nos domino Ieſuitæ fideliter reddituros. Itaque poſt noſtrum ad urbem adventum, ejus potiſſimum opera, & auctoritate, ex edicto regis Virettus omnium hæreticorum, qui hic erāt ſignifer & dux, cujus oratione maxime fuerant ſuperiores illæ tragœdiæ excitatæ, miſſus eſt in exilium. Non multo poſt alius eorundem miniſter, cui Ruffino nomen erat, pari affectus pœna diſceſſit. Is multa improba facinora feciſſe dicebatur, primuſque armatus diſtricto gladio irruerat in templa, & ſanctiſſimas imagines de altaribus exturbarat. Turpiſſima flagitia permulta eidem ita objiciebantur, ut inficiari non poſſet: quas ob res poſt diuturnam cuſtodiam, ut dixi, e civitate ejectus eſt. Sic noſtri iſti fideles perfidioſi duos religionis improbæ principes amiſerunt, qui cujuſmodi fuerint ſuperiore vita, vel ex eo perſpicitur, quod Viretto auricula una deeſt, Ruffinus in facie cicatricem habet, indicem plagæ luculentæ olim acceptæ. Quantum his rebus animi acceſſerit iis, qui recte de religione ſentiunt, exiſtimare non difficile eſt. Ad P. Edmundi conciones audiendas

concurſus tanti fiunt, quanti maximi fieri poſſunt, nec orthodoxi modo conveniunt, ſed hæretici etiam non pauci. At hæreticorum multitudo illa tanta, fit minor in dies. Tria illis templa conceſſa fuerunt ad nefarios illos cœtus. Vnum ex his paulo ante adventum noſtrum edicto regis ereptum eſt, cum duo plus ſatis eis eſſe viderentur. Cum nuntius allatus eſſet Melitam a Turcis obſideri, eorum miniſtri pro concione docere conati fuerant: melius eſſe Turcis, quam idololatris ſervire. Iejunia publicaſque preces indixerant pro victoria Turcarum: quæ in eam partem tantum valuiſſe credo, ut Deus inaudito ſcelere excitatus, victoriam hoſtibus ademptam tranſmitteret ad noſtros. Quam eos demiſſo fuiſſe vultu, quam triſti, quos gemitus tacitos edidiſſe putas, ubi Turcas victos a noſtris nunciatum eſt? non id tamen viſum eſt Deo ſatis. Regis edictum propoſitum, ut ſupplicatio publice cum ſolemni pompa haberetur, quod Deus potentiſſimo regis ipſius fratri tantam, & Chriſtianæ religioni tam ſalutarem victoriam de crudeliſſimis hoſtibus dediſſet. Ea ſupplicatio, maxima frequentia, ſumma pietate, diſpoſitis a prætore militum præſidiis, pridie nonas

Novembris habita eſt. Quid illis tum animi fuiſſe, cum in oculis ſuis de ſe viderent orthodoxos agere triumphum? Octavo vero ab ea ſupplicatione die inſanabile miſeri vulnus acceperunt. Omnes enim antea cives & hæretici & orthodoxi arma fere habere prohibebantur: Sed cum inſtituto vetuſtiſſimo hujus civitatis, quicunque tormentarij milites eſſe vellent, paratique eſſent ad rempublicam tuendam, conſcribi ſolerent, ac multis immunitatibus donari, locumque attributum haberent, in quo feſtis diebus ad ſignum ſeſe exercerent, iſque mos novi regis edicto ſublatus aut intermiſſus eſſet; obtinuerant orthodoxi per eos dies, ut veterem ſibi conſuetudinem revocare liceret. Itaque D. Martini feriis quadringenti aut quingenti cives ad antiquam religionem defendendam optime animati, mirifice inſtructi armis, & purpureo colore inſignes; quæ fuit in bello orthodoxorum nota; per totam urbem facto agmine pervagati ſunt: quo facto credibile eſt, hæreticorum animos concidiſſe. Quid dicam de præfecto arcis, qui ſtatim, ut militem aliquem impuris ſacris imbutum eſſe cognovit, eo ipſo nomine damnatum ſtrangulari jubet? mediocri-ne dolore ea re affici hæreticos putas? Erigunt ſe illi qui-

dem interdum: ſed vani ſunt atque irriti omnes eorum conatus. Omnia profecto meliora ſperanda ſunt. Dedit rex argumentum ejuſmodi ſuæ voluntatis, ut deſperandum non ſit, brevi futurum, ut omnis impietas ex antiquiſſimo fideliſſimoque regno extirpetur. Nam Britanniæ præfectum capite plecti juſſit, & in quatuor ſectum partes diverſis locis ſuſpendi, quod ſacrificium euchariſtiæ, hoc eſt, ut antiqui loquebantur, liturgiam ex edicto regio admittere recuſaſſet: cujus vitam cum duo principes viri ab eo deprecarentur, reſpondiſſe dicitur, juvenis magno & excelſo animo, velle ſe dominum ſuorum eſſe, neque paſſurum diutius abuti quemquam adoleſcentia ſua ad regnum Galliæ perturbandum. Tu, mi Pompei, cura, quæſo, ut noſtri fratres pro eo rege ſupplicent Deo, cujus in ſalute, & fide poſita eſt civitatum ſalus. Ad Hieronymum Bertium dederam literas paucis ante profectionem meam diebus. Id eum ſcire velim: nam arbitror iſtic eſſe. Scripſeram & ad Bartholomæum Mancinum Senis, me purgans, quod per ea loca, in quibus erat ipſe, non iter habuiſſem: hoc eum ignorare nolim. Magiſtro Benedicto perſcripſi diligenter totum iter, unaque cum eis literis

epiſtolam ad Benedictum Sardum de meis actionibus Lugdunenſibus dedi. Bis etiam ad Paulum Manutium ſcripſi: eas epiſtolas ſi potueris legere, puto fore vobis non injucundas. Cum dico vos, omnes ſignifico, quos mihi ſcis fuiſſe familiares. Poteritis autem per Bernardinum Senenſem id nullo negotio obtinere: per quem cura, ille ut ſciat me binas jam ad eum literas dediſſe, ne ſi forte perlatæ, aut redditæ non ſunt, ſecus aliquid de me ſuſpicetur, atque ego velim. Salutem quibus dici velim adſcribam. P. rectori, P. Ledeſmio, P. Voleto, P. Fulvio, optimo ac ſuaviſſimo, P. Ioanni Colæ, quem audivi eſſe Patavij; ſed ſcribi eo ſalus poteſt: quibus dices ſalutem mihi per te miſſam ſalute ipſa fuiſſe gratiorem, & ſuaviorem. Quid Marco? quid Conſtantino? quid valetudinarii præfecto? quid ceteris? longa oratione officioſiſſimiſque verbis tibi opus eſt. De P. Vincentio, quem ægrotum reliqui, nihil a quoquam veſtrum ſcriptum eſſe miror: tantum conjicio non eſſe mortuum, quia pro eo ſacra facere nondum juſſi ſumus. Iterum ſcire vellem, quam bene valeat. De P. Michaele Angelo idem a me dici exiſtima. Vtrumque jube multum ſalvere. Sed finis non erit. Vale. Lugd. XI. Cal. Decemb. M. D. LXV.

Digitized by Google

Petrus Ioan. Perpinianus Paulo Manutio.

XXIV.

EGo vero deſiderium urbis vix fero. Hanc ſi mollitiem animi eſſe putas, næ tu multos reperies, quos eodem in genere reprehendas. Si vero non ab animi imbecillitate proficiſcitur deſiderium meum, ſed ab earum rerum magnitudine, quas reliqui, mihi profecto concedendum eſt, ut ingenue fatear, illis me rebus ſine moleſtia carere non poſſe, quarum abſentiam ne illi quidem ferre poſſunt, qui non viderunt. Ego igitur conficior urbis deſiderio: mihi in exilio quodam eſſe videor, & certe ſum in eo, quod ne rex quidem Herodes olim potuit ſuſtinere. Neque vero me aut rerum omnium copia, aut viarum nova deſcriptio, aut ædificiorum recentium pulchritudo, aut veterum ruinarum admiratio movet, quæ vel alibi paria, aut majora etiam fortaſſe reperias, vel omnino ſi deſint, facile contemnas. Tua me, tuique ſimilium, ſi quis tamen ſimilis tui; ſed eruditorum hominum conſuetudo me, qua neceſſario carendum eſt, movet vehementer, atque eo ma-

gis quod Lugduni ὀρνίθων γάλα citius, quam hujuſmodi virum invenias, quicum aliquid communicare velis. En, unquam, non jam patrios, ſed veſtros longo poſt tempore fines, neque pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen, ſed nectare & ingentis manantia tecta Manuti: noſti reliqua. Deſperandum non eſt interea: multæ mihi res neque eæ vulgares lenire deſiderium poſſunt, vel confirmare potius animum ad id, quam diu neceſſe erit, perferendum, quod non abſum mea cauſa, ſed publica, quod in eccleſia ſublevanda quantum poſſum: tametſi quantulum eſt hoc, quod ego poſſum? ſed quantum poſſum tamen elaboro; & quod caput eſt, quod non mea voluntate urbem reliqui; ſed, ut mihi perſuadeo, divino juſſu: quænam enim ego divina ducam juſſa niſi ejus, cujus me totum permiſi, ac tradidi poteſtati, divinis monitis parens? Erit illud etiam exilij mei non mediocre ſolatium, ſi quid literarum abs te aliquando. Itaque nunc vel hanc unam ob cauſam occaſionem ad te ſcribendi oblatam mihi eſſe gaudeo, quod domi tuæ mihi eſſe videor, tecumque, uti ſolebam, colloqui, dum hæc ſcribo. Quam occaſionem, inquis? Cornelius Longolius domo Vltrajectinus, ſed vir nondum mihi, ne de facie quidem ſatis

Digitized by Google

notus, verum, ut accepi, juvenis induſtrius, & in emendandis iis, quæ imprimuntur, bene exercitatus, a me petiit ut ſe tibi per literas commendarem. Romam enim ire ſe aiebat, & optare valde, vel operam tibi navare ſuam in corrigendis libris, ſi forſitan erit illa tibi neceſſaria: vel ſi non erit, alicui per te maxime, cui neceſſariam eſſe intelligas, commendari. Nonnihil equidem dubitavi ſcribendumne mihi eſſet de eo, cujus neque ſcientiam, neque exercitationem, neque induſtriam cognitam haberem. Verum a Roilo tuo quidam, vir ſane bonus & memor, ad me hominem adduxerat. Hunc ut ſua cauſa ſuſciperem laborem, orabat: juvenis ipſe quandam ingenuitatem præ ſe ferebat. Faciendum mihi eſſe duxi, ut haſce literas ad te darem, vel quia petentibus hoc quicquid eſt officij negare ſatis honeſte non poteram, vel quia non arbitrabar alienum humanitate tua hujuſmodi hominem induſtrium ſine incommodo tuo juvare, ſi poſſis; vel quia magnam te laudem facilitatis aſſecuturum videbam, ſi me quoque his de rebus tecum agere non indigne patereris; vel quia poſſe fieri ſentiebam, quod aliquando tibi accidiſſe memini, cum adeſſem, ut hujuſmodi hominibus indige-

res; vel certe, quia Chriſtophori Longolij nomen, & cognationem multum apud te, prope alterum Romanæ elegantiæ parentem, valere debere exiſtimabam. Ea induſtria hominem eſſe cupio, onus ut tibi poſſit allevare. Quod ſi ita erit, mihi pergratum accidet, quidquid ejus cauſa feceris. Quod ſcire volebas a Roilo, mihique venienti mandaras, de eo ſcripſi ad te hoc ipſo menſe diligenter. Summa earum literarum & ſententia, hæc erat: hominem illum ſumma infamia fuiſſe, magis impuritate vitæ, quam religionis ulla commutatione. De Plinio rem ab eo perquam accurate fuiſſe perfectam, ſed communium temporum caſus, & typographorum, quos ille conduxerat, fugam, ne opus ederetur, obſtitiſſe: ei te ſcribere poſſe credo ſine dedecoris metu. Addebam, gravi me conflictatum morbo; tandem ſalvum, & incolumem perveniſſe Lugdunum; orationem habuiſſe de veteri religione retinenda; ei orationi archiepiſcopum, & prætorem urbis interfuiſſe, archiepiſcopum poſtea gymnaſium noſtrum inviſiſſe, me ſacras literas interpretantem fuiſſe ab eo valde non patienter modo, verum amanter etiam auditum. Sed eas literas tibi ſuſpicor nondum eſſe redditas. Nam

in faſciculum conjeci, ſummo magiſtro noſtræ ſocietatis inſcriptum: eum porro faſciculum Antonius Poſſevinus amico neſcio cui ſuo hinc proficiſcenti dedit. Iſte amat te plurimum, & ſalutem tibi juſſerat adſcribi, cum apud nos eſſet, ac ſuo nomine agi gratias, quod tanto ſtudio fueris noſtram ſocietatem complexus. Narraveram enim de te multa ex hoc genere, quæ eum valde oblectarant. Tu vero dic multam ſalutem Aldo, multam communibus amicis, quibus eam arbitrabere non injucundam. Sed ecquid habes de tuis in epiſtolas commentariis? ecquid de actis concilij Tridentini? fac me obſecro certiorem: & ſi quid aliud putabis ignorare me non debere. Collegium noſtrum Romanum, quod tibi commendem non eſt, cum memoria teneam multas pugnas a te pro ejus exiſtimatione, fuiſſe pugnatas. Hoc tantum dicam, ſcire me te, quæ tua eſt apud omnes auctoritas, magno præſidio poſſe eſſe veritati, & vero etiam ſæpenumero fuiſſe. Quicquid ejuſmodi feceris, id me pluris eſſe facturum, quam ſi omnia in me unum ſtudij & amoris & benignitatis vel officia, vel beneficia contuliſſes. Vale, meque ut facis ama. Lugduni. x. Cal. Decemb. M. D. LXV.

Digitized by Google

Paulus Manutius Petro Ioan. Perpiniano.

XXV.

AMabam antea non vulgariter amorem in me tuum, cum præſertim ſuavitates in te eſſent ingenij multæ, rara probitas, doctrina prope ſingularis. Nunc quam in exhauriendo mandato, quod humanitate tua fretus diſcedenti tibi dederam, curam & diligentiam adhibuiſti, ea me ſic affecit, ut omni te animi mei ſenſu complectar, omnia tibi quaſi jure optimo debita ſtudia & officia pollicear. Quamquam de amico meo duriora ſignificant literæ tuæ. Quæ ſi vera ſunt, amicum jam non appello: excellat licet ingenio, valeat induſtria, ex antiquis monimentis præclara quæque delibaverit. Hæc inania ſunt, niſi cum optima mente,& Chriſtiana pietate jungantur. Quod ſi ſe reſpexerit, ſi cum eccleſia catholica, id eſt, cum Deo redierit in gratiam, tunc ego me illi reſtituam, tollam hominem & ornabo, quantum in me erit, nullum ei deeſſe à me officium patiar, quod ad ejus dignitatem, exiſtimationemque pertineat. Quod ſcribis Lugduni meliore jam loco re-

ligionem eſſe, & in eo te ſtrenue operam navare, non miror te tui ſimilem eſſe, præſertim in communi ſalute: publicam vero rem quotidie melius ire, contra quam & ſperabant nefarij homines, & agebant, vehementer gaudeo. Rex autem adoleſcens ac pæne puer, cum in Chriſti cauſam toto animo cœperit incumbere, ſuperare videtur ætatem virtute, & plane is eſſe, qui majorum ſuorum laudibus aliquando reſpondeat. Poſſevino noſtro cum ſalutem a me ſcripſeris, hoc addes, memoriam illius noſtræ veteris amicitiæ mihi eſſe perjucundam; ſed longe carius, longeque jucundius, quod omnes animi ſui nervos, omnes ingenij ſui vires, in profligandos apoſtolicæ ſedis hoſtes aſſidue conferat. Gratulor ſane optimo juveni de iſta facultate, nec dubito, quin eum ſemper quocunque eat, quamcunque rem aggrediatur, ope ſua Deus, & proſequatur & juvet. Rovilium præſtanti humanitate virum, egregie de religione ſentientem, ſi meo nomine ſalutaveris, gratiſſimum feceris. Vale.Romæ.XIV. Cal. Decemb. M.D.LXV.

Cum epiſtolam complicarem, venit ad me, ut ſolet, officij gratia, communis amicus, diligens obſervator doctrinæ tuæ, Zerbinus

nus Ritius. is rogavit, ut ſalutem tibi ſuis verbis adſcriberem. quod facio libenter: teque rogo, ſi tamen hoc patitur humanitas tua, ut ames juvenem, amore tuo dignum.

Petrus Ioan. Perpinianus Paulo Manutio.

XXVI.

QVeſtus eſt nonnemo per literas tarditatem in ſcribendo meam, mirarique ſe dixit, quid eſſet, quam ob rem tam diu omnino nihil, ad te præſertim, cujus animum erga me ſingularem ſatis cognitum haberem. Ego vero, ex quo ſum in hanc urbem ingreſſus, cum aliis multis multa ſcripſi, qui mihi unanimiter omnes, Io. Martaro excepto, de induſtria videntur tacere voluiſſe; tum tibi jam tertiam hanc epiſtolam mitto, cum literam tuam viderim prorſus nullam: nonnihil ut interdum ſilentio tanto commovear, ac verear, ne diſcedens iratam mihi reliquerim totam urbem, cui falſo me carum eſſe exiſtimarem. Videlicet hoc unum exilio meo deerat, ut omnium repente literæ conticeſcerent, quarum mihi ſermo multo jucundiſſimus aliquid ſolatij poſſet afferre. Vtrum ſuſpicer potius, haud

equidem ſcio : non licuiſſe tibi per tuas occupationes multas atque graves, homini, ut nihil ſit aliud, tui certe amantiſſimo perexiguum quiddam temporis impartiri ? at negotium Aldo dari potuit, ut pro te mihi reſponderet. Periiſſe literas meas ? Eſto : interierint priores, quod ſane jam pridem timere cœpi : poſteriores certe tibi reddi, ejus ipſius intererat, qui ferebat. Fortaſſe te reſcribere volentem inſperata Pij IV. mors, & urbanarum domeſticarumque rerum perturbatio retardavit. Ita mihi Deum propitium eſſe velim, ut ſtatim atque de illo reip. Chriſtianæ vulnere audivi, tu mihi veniſti in mentem, cui ne magno ea res detrimento fieret, valde metuebam. Vtinam qui ſucceſſit in ejus locum, ſit tibi longe etiam melior, quam ille fuit, quod non tua modo cauſa, verum etiam publica vehementer opto. Nam neque tibi vel ad rem, vel ad dignitatem quicquam deeſſe velim, & cum induſtria tua ſingularis, eximia pietate, ſapientiaque juncta, magno univerſæ reipublicæ Chriſtianæ adjumento ſit futura, ſi cujus principis munificentia ſublevatur ; quantum illi de ſubſidiis neceſſariis detractum erit, tantum damni ſentio orbem terrarum eſſe facturum. Sed quæ te cunque

cauſa retardarit; tuæ mihi literæ tanto gratiores erunt, quanto eas diutius expectavi. Per humanitatem tuam te oro: quo ſit loco res, fac me quamprimum certiorem. Quod mihi mandaras, feci diligenter. Conveni Roilium tuum; quid is, quid alij reſponderint, bis jam ad te ſcripſi. Comperi hominem illum, de quo tu cognoſcere volebas, non tam opinionibus pravis imbutum eſſe, quam ipſo vitæ genere infamem: opus autem ab eo inſtitutum, eſſe illud quidem perfectum, verum nondum tamen exiiſſe. Nos hic ſumus in gymnaſio publico, nobis a civitate & archiepiſcopo commiſſo & tradito, ubi primum viginti abhinc annis natam & educatam & corroboratam hæreſim fuiſſe aiunt cives. Puerorum numerus his paucis menſibus auctus vehementer eſt, augeturque in dies magis, in quibus inſtituendis eo major hic cura ponenda eſt, quo ſunt pericula religionis, quam iſtic, graviora. Speramus, unde exorta eſt illa lues, inde remedium ad omnes eſſe perventurum. Theologiæ ſtudia jacent omnino: nam ad quos ea res præcipue pertinebat, ij nulla de re mihi videntur minus, quam de officio ſuo cogitare. Vrbs omnino eſt ad quæſtum aptior, quam ad philoſophandum, in qua pecuniam quam-

vis grandem, qui tibi det fœnori, quam qui breviſſimam accipiat, vel cum grandi ſententiæ fœnore, diſputationem. Mirum Ariſtotelis mei me deſiderium tenet, quem hortatu exorſum tuo, aliquando te ipſo & auctore, & adjutore pertextum iri non diffido. Sed numquid molitus Aldus, quod nos delectet? Corradus vero noſter ecquid ad te poſt profectionem meam? Aveo ſcire illa etiam, de commentationibus tuis in epiſtolas Ciceronis familiares, de concilij Tridentini actis, de reliquis Hieronymi ſcriptis, & ſi quid aliud putabis ad nos attinere. Si tibi forte redditæ fuerunt literæ meæ poſteriores; quoniam μνημονικόν τι ἁμάρτημα in eis eſſe animadverti poſtea; dele, quæſo, nomen Herodis, Archelai repone in ejus locum. Noſtrum collegium, quod tibi commendem non eſt, pro quo ſæpe te ſciam magna contentione pugnaſſe. Sic tamen habeto quicquid ejuſmodi pro veritate, innocentiaque feceris, id mihi gratius futurum, quam ſi me vacuum omnibus beneficiis ornares. Aldo ſalutem dices. Vale. Lugd. Non. Feb. M. D. LXVI.

Petrus Ioan. Perpinianus Andreæ Vallenſi, fratri ſuo chariſſimo.

XXVII.

O Male factum, o factum male! in morbum tam gravem tamque moleſtum incidiſſe te! tantam fuiſſe virium infirmitatem, ut nobis fuerit neceſſe tam diu carere ſolatio literarum tuarum! Quanquam non dubito, quin illa corporis imbecillitas animo te reddiderit ad occulta cum vitiis prælia fortiorem. Sed non poſſum tamen non dolere, ad eum te fructum non potuiſſe ſine moleſtia pervenire. Tametſi longe alia ratio eſt doloris mei, de quo tu principio epiſtolæ confeſſus es. Nam tu doluiſſe te ais quod multis ad nos venientibus nullas literas dediſſes, cum diſcedenti mihi facturum te pollicitus fuiſſes: ut non tam doluiſſe videaris, quod ego tot menſes tuo ſolatio caruerim, quam quod tu non ſteteris promiſſis. Ego autem etſi magnum ex tuo tam diuturno ſilentio dolorem capiebam, tamen cauſa cognita multo, quam antea vehementius dolere cœpi, ac infinitis partibus mallem nihil excuſationi relictum

loci, quam id cauſari te, quod cum tibi grave perpeſſu atque aſperum fuiſſet, mihi futurum eſſet acerbum auditu. Nunc vero & tibi bene eſſe magnopere gaudeo, & de magiſtri tum doctrina, tum ſanctitate tibi gratulor, & tuum illud ſtudium ſingulare dialecticarum rerum non tam miror, quam laudo: quod ſane non video, cur officium erga me tuum debuerit impedire, ut natalis Chriſti dies expectandus eſſet. Vtut eſt, moneo te, & exhortor, ut præceptorem tuum obſerves, & colas, ad ejuſque normam acerrimam dirigas, ſi quid hic Valentinus plane abhorrens, & abſurdus, & ab elegantia Italica longe alienus, forte depravavit. Quæ mihi de præcipuis illis tuis & commilitonum tuorum ſtudiis narrabas, ea certe gratiſſima fuerunt. Eſt tamen non exiguum quiddam, quod te patrio jure & auctoritate moneam. Nam ſi tu, mi Andrea, ſic accipies, quod promiſeras te omnium conſuetudine prohibere, ut alios indignos putes, quibuſcum ipſe verſeris, eorum colloquia tibi pernicioſa fore credas; timeo ne tuis moribus plus arrogantia detrimenti afferat, quam ſalutaris diſciplina lucri. Quare ſic te potius contineas velim, ut te unum judices indignum hominum luce, ac vix in uno aliquo obſcuriſſimo talis do-

Digitized by Google

micilij angulo ferendum. Sed hanc tam gravem monitoris perſonam depono, quam ſuſcepi. Nolo videri magiſter morum atq; notæ. Habes patrem Xaverium tirocinij tui prudentiſſimum ducem: habes doctorem abundantem cæleſtis philoſophiæ præceptis: habes P. rectorem diligentiſſimum diſciplinæ cuſtodem: hi tibi nullum vel præceptum, vel conſilium deeſſe patientur, ad vitam bene beateque degendam. Ego ab admonitione, & præceptione tranſeo ad narrationem, tibi, ut ſperò, non inſuavem: nam exponam tibi pugnam a duobus Hiſpanis in Gallia ſine ſanguine pugnatam, ſed non ſine bili & clamore. Eſt in hac urbe quidam natione Hiſpanus, religione; ſi tamen religio illa dicenda eſt, ac non potius religionis corruptela; ſed religione tamen, ut ipſi loquuntur, Gebennenſis, ex intima Calvini diſciplina, quem ego tanto deteſtabiliorem puto, quanto plura, & ad ſpeciem prçclariora præ ſe fert ſigna maximarum virtutum. Is aliquando ad me venit, verbo quidem aliquid diſcendi cauſa, re ipſa tamen multa docendi. Hominis eruditionem quæris? artificem aiunt eſſe bombycini pectendi: artium earum, de quibus tu forte ſuſpicabaris? prorſus rudem ſe eſſe ingenue fatebatur: ſed addebat Spiritum ſanctum

nullum a ſua ſchola hominum genus excludere: itaque θεοδίδακτος videri volebat. Scripta omnia, canonicis exceptis, homo confidens, & audax repudiabat. Calvinum ipſum, ſi qua in re, aut falſum fuiſſe, aut fallere voluiſſe demonſtrares, hominem extitiſſe, errare potuiſſe reſpondebat. Cum ab hominibus peccata remitti omnino negaret, cum id Deo tribuendum eſſe diceret, & ſacerdotibus adimeret omnem poteſtatem; quid, inquam, ſi mihi rex ducentos aureos ad te perferendos daret, eoſque tibi ipſe numerarem, an non tu regiam munificentiam prædicares, abs me tamen pecuniam numeratam fatereris? hic ita cœpit hæſitare miſer, nihil ut contradicere auderet. Induxi de myſterio corporis, & ſanguinis Chriſti ſermonem, in quo cum ille ſibi triumphare videretur, & Chriſtum in cælum aſcendiſſe diceret, ac ſedere ad dexteram patris; an non putas, inquam, poſſe Chriſtum, verum Deum, uno tempore & in cælo eſſe, & in myſterio? itane tu homuncio ingenij tui finibus definis ac circumſcribis divinum numen. Quid igitur, inquam, attinet Chriſti aſcenſum in cælum commemorare? quia non vult, inquit, licet poſſet. Nam ipſe dixit ſpiritum carnem & oſſa non habere. Ergone, inquam, ubicunque caro & oſſa

Digitized by Google

non cernantur, ibi humanum corpus non eſſe credis? Ego vero non credo, inquit. Quid, inquam, cum a Nazarenis modo non de ſaxo dejectus, ipſe tranſiens per medios illorum ibat? an non corpore inter eos verſabatur? Prorſus, inquit. Quonam ergo modo fecit, ut a nemine videri poſſet? illi ſi incedentem Chriſtum oculis aſpexiſſent, ſuas ab illo continuiſſent manus, quem altiſſima de rupe præcipitare voluiſsent? carnem & oſsa ſcilicet, quæ pauló ante vere habebat, ſtatim ut ἀόρατον ſe ipſe fecit, repente deſiit habere: Nam ibi corpore fuiſse evangeliſtæ verba declarant. Hic dubitare & æſtuare miſer, nec ullum prudentem exitum invenire. Corpore inter Nazarenos vere fuiſse conſervatorem noſtrum, nec veram carnem & oſsa habere deſiiſſe: amplius tamen deliberandum eſſe dicebat. Sic miſerum hominem dimiſi, cum monerem ut referret ad doctores ſuos. Nihil eos vero reſpondere dixit: poſtea ſe ad me rediturum; rediit autem nunquam. Vix credas, mi frater, quanta ſit iſtorum contumacia, quæ obſtinatio voluntatum: quo magis orandus eſt Deus, ut eos aliquando reducat in viam. Benedicto & Pompeio, cum erit otium, reſcribam, quibus & omnibus veteribus diſcipulis meis, ſi ſalu-

tem verbis meis dixeris, gratiſſimum mihi feceris. De P. rectore quod ſcribis, nequaquam mihi novum accidit; non miror eum eſſe ſimilem ſui: quem a me quam officioſiſſime, amantiſſimeque ſalutabis. Te quotidie eſſe mei memorem lætor; quod te oro, ut facias diligenter. me neque tui, neque aliorum unquam immemorem futurum exiſtima. Vale. Lugduno. XVI. Cal. April. M.D. LXIII.

Petrus Ioan. Perpinianus P. ſuo Emanueli Saæ.

XXVIII.

BIformes literas tuas tanto majore cum voluptate legi, & ſæpe legi, quanto minus expectabam futurum ut homo occupatiſſimus & quidem iis in rebus, quæ ab humana conſuetudine longiſſime abhorrent, ad me, ad ultimas Oceani oras amandatum, literas dares. Vide, quantum abfuerit, ut quererer, quod nihil ſcripſiſſes. Mi pater, ne id quidem optare mihi in mentem aliquando venit. per illum, quicunque fuit, tantum expoſtulabam, quod nullam abs te unquam ſalutem accepiſſem; cum mihi aut ſcires, aut exiſtimare deberes multo ju-

cundiorem fore ſalute ipſa, quod a te veniret. Nollem tam imprudenter ille feciſſet lamentationes, ut tu vocas, meas. Eſt mihi tamen gratiſſimus error ille, qui tantam mihi attulit voluptatem, ſed non quæcunque grata ſunt, eadem ſunt etiam probata. Verum quid fuit, quod epiſtolam tuam velles duplici facie ad me venire? cur Ianum bifrontem finxerit vetuſtas, cauſæ multæ a mythologis & poetis explicantur: cur tu biformes eſſe volueris literas tuas, cauſam equidem nullam aliam excogitare poſſum, niſi ſingularem ſuavitatem morum tuorum, quæ fecit, ut ad me ſcriberes, ut dicitur, quicquid in buccam. Ex quo intellexi magis, quod mihi nunquam dubium fuit, quo ſim apud te loco. Mihi quidem illa varietas & diſtinctio magnæ voluptati fuit, cum mihi modó viderer veterem illam Romam, modo recentem Hiſpaniam tueri. Quam tibi parem gratiam referre poſſum? Viſne ordiar a profectione mea, ut tu feciſti? Digreſſus a vobis, & adverſa valetudine in via conflictatus, Lugdunum perveni; orationem habui; literas divinas interpretatus ſum: ab externis non raro interpellatus: cum hæreticis aliquando ſum congreſſus: inde Lutetiam venire juſſus, urbem vidi omnium, quas unquam viderim maximam; defenſio-

nem ſodalitatis noſtræ, cardinali Lotharingio ſcriptam obtuli; de veteri religione retinenda, cujus argumenti fuerat oratio Lugdunenſis, Duas orationes habui inter hæreticorum non modo ſibila, verum etiam arma. Nunc tertiam meditor. Curæ inferiores tuis, ſed ingenio meo longe ſuperiores, qui nec aurum, nec argentum in ærarium Eccleſiæ inferre poſſumus. Hoc noſtro ære ſumus contenti, quod a vobis uti par erat repudiatum, Galli cupide, ſine cauſa fortaſſe, cupide tamen, ut video, amplectuntur. In his occupationibus erit mihi tam gratum, quam quod gratiſſimum, de de te audire. Sed ſatis erit, ſi quando per eos, qui ad me ſæpe ſcribunt, me juſſeris ſalvere. Vale, mi pater, ac mihi tuis precibus & ſacrificiis placa numen divinum. Lutetia. XII. Cal. Iulij. M. D. LXVI.

Petrus Ioan. Perpinianus Neapolioni Comitolo.

XXIX.

EGo vero, mi Neapolio, quod te pudere debeat, nihil eſſe video; quæ mihi ſummam lætitiam, atque voluptatem poſſint afferre, video eſſe permulta. Nam & tibi, quod ad officij religionem neceſſe non erat, id aliquando tamen voluiſſe facere,

laudi potius, quam vitio vertendum eſt: & mihi nihil poterat accidere jucundius; quam ut aliquid a te literarum acciperem, cui nihil eſt mali, quod non metuam, nihil boni, quod non optem. Recognovi enim in ſermone tuo, qui veluti quidam animi vultus eſt, ingenij ſuavitatem, & amabiles mores tuos, pudorem ſingularem, ſtudium humanitatis, atque doctrinæ; quæ cum poſſent, etiamſi officio tuo defuiſſes, quamvis ardentem ira & dolore animum tibi facile placare, tu ipſe cogita, quanta me jucunditate perfuderint, non tibi modo nihil ſuccenſentem, quod non ſcripſiſſes, verum ne ſuſpicantem quidem has tuas partes poſſe videri, quem ego nullo neque facto neque verbo devinxiſſem. Nihil dico de illo quaſi cantu literarum tuarum, qui longe dulcior illo concentu, quem tu mirifice laudas, quam vere neſcio equidem; amice quidem certe & benevole; incredibile eſt, ut me tacentem, & languentem ad ſcribendum excitarit. Quo minus neceſſe erat me, ut tibi reſcriberem, vel orare vel admonere. Erant enim ita ſcriptæ literæ tuæ, ut multis, qui te non noſſent, admirationi poſſent eſſe

Hujus epiſtolæ pars, ut apparet, major deſideratur.

Petrus Ioan. Perpinianus clariſſimo Venetorum oratori Iacobo Soranio, viro patricio.

XXX.

IMportuna me ſtudia multorum, Sorani clariſſime, prorſus de perpetuo inſtituto vitæ, conſilioque deducunt. Nunquam enim eorum mihi ratio probata eſt, qui vel inani colligendæ famæ cupiditate, vel inconſiderato ſtudio ceteros juvandi, quidquid ſcripſerint, dixerint, cogitarint, ac interdum etiam quod ne cogitarint quidem, ita emittere feſtinant, ut non tam edere, quam foras projicere videri queant. Ac ſi verum quidem volumus confiteri, quid ſtultius fieri poteſt, quam celeritatis gloriam aucupantem, infamiam ſubire temeritatis, aut volentem aliis prodeſse, obeſse ſibi? præſertim cum in hoc genere nocere nemo ſibi poſſit, quin illis etiam officiat, quibus vult eſſe conſultum. Nam qui operis edendi feſtinatione, ante-partum eloquentiæ, vel doctrinæ nomen amittit, eum dicendi vel cognoſcendi ſtudioſis multa imitanda proponere neceſſe eſt, quæ ſi ſequantur, nec eloquentes unquam, nec

docti ſint futuri. Quod cum ita ſit, ſtatueram equidem aut omnino nihil in tanta turba ſcriptorum edere, aut, ſi quid foras dandum videretur, non prius id exire pati, quam & diligenter limaretur, & cum amicis, quorum eſſet intelligens & acre judicium, communicaretur: ut ſi quid minus elaboratum a me fuiſſet, atque perfectum, id aliorum prudens, & opportuna correctio, tanquam manus extrema, perpoliret. Nunc vero ut initio dixi, de conſilij mei ratione dejectus, quam orationem habui Kal. Octob. de humana, divinaque philoſophia diſcenda, eam prope ante cogor emittere, quam potuerit tranſcribi, certe prius, quam tota a me cauſa pertractetur: idque in ea urbe, in qua multis tametſi non ſuppeditat materia, tamen nec voluntas reprehendendi noſtra deeſt, nec facultas. Quare in tuo eam nomine apparere volui, ut ſi erunt male dicendi cupidi, humanitatis, & prudentiæ, & doctrinę tuæ ſplendore deterreantur. Tu enim is es, qui & clariſſimæ familiæ nobilitatem, & ampliſſimæ civitatis dignitatem ita conſilij gravitate, ſuavitate morum, optimarum artium luce decoraſti, ut plus eis fere, quam acceperis, ornamenti retuliſſe videaris. Quæ ſi cujus audacia contemnet, ego tamen officio meo ſatisfecero: qui & tuam erga me

benevolentiam, & ſtudium in ſodalitatem noſtram ſingulare, cum officiorum magnitudine aſſequi omnino non poſſim, hoc certe quamvis exiguo munuſculo, quantum in me erit, univerſæ poſteritati teſtificabor. Accipies igitur indicium obſervantiæ, pignus animi, obſidem meę perpetuæ in te voluntatis: neque ſecus accipies, quam ſi tibi ab univerſa ſodalitate mitteretur: & quod audire tibi vel per errorem, vel per negligentiam noſtram non licuit, vel etiam per obſervantiam, minus fortaſſe neceſſariam, at tibi certe debitam, cum vereremur, ne amplitudinem tuam putaremur contemnere, ſi te quotidie ad audiendum invitaremus, leges & animo, quo noſtra ſoles, injuriamque omnem, quam tibi, quæ tua eſt humanitas, factam exiſtimas, quod nequaquam fueris, cum velle & optare te ſignificaſſes, advocatus, hujus munuſculi compenſatione delebis.

Petri Ioannis Perpiniani aliquot epiſtolarum finis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

2005 2008385 S002